DE

CRIMINE ΒΟΥΛΕΥΣΕΩΣ

SCRIPSIT

DR. WOLFGANG PASSOW.

LEIPZIG
GUSTAV FOCK
1886.

Verlag von Gustav Fock in Leipzig.

Hervorragendes Werk über Laut-Physiologie.

Die Sprachlaute im allgemeinen und die Laute des Englischen, Französischen und Deutschen im besondern

von

Dr. **Moritz Trautmann,**

Professor an der Universität Bonn.

Mit Abbildungen. Preis: M. 7.—.
21 Bogen — gr. 8°.

Im allgemeinen Teile werden zunächst akustische Dinge behandelt, dann das Sprachorgan beschrieben (dieser Abschnitt enthält 10 erläuternde Abbildungen), weiterhin das Vokal- und Konsonantensystem aufgestellt und zuletzt die Arbeiten anderer auf diesen Gebieten beurteilt; im besondern Teile werden die Laute der einzelnen drei Sprachen behandelt, immer mit kritischer Berücksichtigung der Forschungen anderer.

Von der fachwissenschaftlichen Presse wurde das Trautmann'sche Buch in der anerkennendsten Weise besprochen, so u. a. in der „Anglia", „Kölbings engl Studien", „Zeitschrift für neufranzösische Sprache und Litteratur" u. s. w.

Italienisches Konversations- und Taschenwörterbuch

von

Angelo de Fogolari,

weiland Lehrer der italienischen Sprache in Leipzig.

Durch zahlreiche Noten und Zusätze sowie einen kurzen Abriss der italienischen Grammatik erweitert und herausgegeben

von

Hermann Mondschein,

Lehrer der modernen Sprachen in Leipzig.

28 Bogen in handlichem 16° Format.
Preis in eleg. biegsamen Kaliko-Einbande M. 3.—, eleg. kart. M. 2.50.

Italienische Repetitions- und Taschen-Grammatik

von

Hermann Mondschein,

Lehrer der modernen Sprachen in Leipzig.

6 Bogen. Preis brosch. 90 Pf., kart. 1 Mark.

Schriftsteller und Buchhändler im alten Rom.

Von

Dr. **Louis Haenny.**

Zweite durchgesehene Auflage.
Elegant broschiert, Ladenpreis: M. 2.40. In eleg. Lnbd. M. 3.20.

Die Schrift wurde mehrfach auf das günstigste besprochen; die 1. Auflage war in kurzer Zeit vergriffen.

Zu beziehen durch alle Buchhandlungen!

In ea iuris attici parte quae ad caedes pertinet et testimoniorum plenior quam in reliquis suppetit materies, neque defuit huic provinciae doctorum hominum studium aut sollertia. Quorum acribus et diligentibus quaestionibus quamquam fructus iam debemus non spernendos, tamen multum adhuc abest ut ad eum finem perventum sit, in quo post rem confectam liceat nobis acquiescere. —

Imprimis una res elusit strenuos qui in ea impenderentur labores pertinaciterque in errores et devia deduxit omnes qui eam persequerentur; *βουλεύσεως* dico actionem, quae ex antiqua forensi consuetudine insidiosum aliquid atque perfidum usque ad hunc diem videtur sibi retinuisse. Sat multae ac diversae de ea prolatae sunt opiniones, postque longas demum dubitationes ea omnibus probata est sententia, quam primus protulit Forchhammerus[1]), quam novissimus exposuit atque uberrimus Philippi[2]). Ex hac vulgata sententia — quae mihi quidem ex omnibus longissime a vero videtur abesse — *βουλεύσεως* crimen idem est quod apud nos vocatur: »intellectuelle Urheberschaft«.

Hoc actionis nomen quoniam e nostro iure deprompsit Forchhammerus, non immerito indidem definitio quoque illius criminis videtur esse repetenda. Habetur autem »auctor intellectualis« is qui excogitavit quidem facinoris consilium, idem autem non perfecit ipse; respondet ei »auctor physicus«, qui incitatus ab altero perficiendum facinus suscepit prudenter atque cum consilio. Ergo

[1]) De Areop. non priv. Kiliae 1828, p. 31.

[2]) Areopag u. Epheten. Berlin 1874, p. 29—51.

unius criminis duo sunt auctores, quorum uterque in ius vocandus est[1]). Satis autem miranda haec *βουλεύσεως* videatur actio; ad talem enim respicit casum, qui propter raritatem propria lege non solet caveri nisi in civitate, quae post longam iuris exercitationem variorumque casuum cognitionem singularibus iam facinoribus atque a vulgari consuetudine remotis praeviderit.

Romani certe sero demum ad hunc casum respexerunt. Antiquis temporibus eius rationem non habuerunt[2]); neque in regiarum legum reliquiis neque in duodecim tabulis ullum eius rei vestigium exstat; post quaestiones perpetuas institutas demum edicta fortasse in hunc quoque casum animadverterunt; mandatorem enim spectant formulae frequentissimae »*cuius opera consilio malo*« (L. 1 § 1 Dig. ad l. Jul. maiestat. 48, 4), »*qui iusserit*« (L. 7 Dig. ad l. Jul. d. vi publ. 48, 6), »*mandatu alicuius*« (L. 11 § 3 Dig. d. iniur. et fam. lib. 47, 10), »*qui curavit*« (L. 6 § 4 Dig. d. bon. damnat. 48, 20). Sane ad mandatorem respicitur his formulis; at semper erit tenendum, leges illas per iurisconsultorum studia tradi nobis varie iam inflexas atque mutatas. Ergo in dubio est, utrum ab illis additae sint eae formulae an fuerint iam antiquitus[3]). Etiamsi autem genuinae esse conceduntur, tamen hoc unum demonstrant, hanc vel illam legem iam curasse mandatorem; in universum non distincta sunt a reliquis ea crimina quae ab altero incitatus quis commiserit[4]). Quod quidem, quanquam in transcursu monendum mihi erat, ac nescio an hac iam consideratione suspicio nostra merito moveatur; vix enim videatur verisimile Athenis quinto iam saeculo propriam legem statutam esse in talem casum, quem Romani passim tantum atque sero animadverterunt.

Iam ad ipsam rem regressi in vulgata opinione referenda pergamus: Duplex vulgo putatur *βούλευσις;* cum enim, quod nemo nescit, duo sint Athenis caedium genera statuta (*φόνος ἑκούσιος*

---

[1]) Geib, Strafrecht p. 320 sq. — Abegg, Archiv d. Crim.-R. 1841, p. 396. Anton Bauer, Abh. aus d. Strafr. I p. 430.

[2]) Mommsen, Röm. Gesch. ed. 7., Bd. I 148.

[3]) Sanio. ad leg. Cornel. d. sicar. et venef. I p. VII.

[4]) Rein, Röm. Crim.-Recht p. 185: Einen allgemeinen Grundsatz und ein durchgreifendes Princip über die Strafbarkeit des Thäters und der andern Mitwirkenden hatte das Röm. Recht nicht.

et *φόνος ἀκούσιος*), ad hanc analogiam servandam duo *βουλεύσεως* quoque genera ponuntur: alterum incitatio *ἐκ προνοίας*, alterum, — calamus et charta repugnant mihi vel nomen scribenti: incitatio *ἄνευ προνοίας*[1]). Huic tabellae concinnitatis laudem tribuimus plenam quidem, at solam eam; conatus enim intelligere quid tandem significet »*incitatio involuntaria*« nunquam ad finem pervenire iustum potui. Atque quaero primum quidem, num quis possit ad caedem alterum incitare, cum ipse id neque velit neque in animo habeat? Minime hoc fieri potest aut omnino cogitari. Incitare potest nemo, nisi qui plenum ipse facinoris consilium habeat[2]). An fortasse *βούλευσις ἄνευ προνοίας* intellegenda est *incitatio ad caedem involuntariam?!* Hanc sententiam ita demum probabo, si demonstratum erit, incitari aliquem posse ut per casum ei aliquid occurrat, namque quod *ἀκουσίως* facimus praeter voluntatem casu nobis accidit. Antiph. V 92: *τὸ μὲν γὰρ ἀκούσιον ἁμάρτημα τῆς τύχης ἐστί, τὸ δὲ ἑκούσιον τῆς γνώμης.*

Exemplum quo Philippi[3]) incitationem involuntariam illustrare studet non ad rem facit: Si quis ut verberet tertium, aliquem incitat, is autem ulterius quam debuit atque iussus erat, progressus morti illum dederit, tum is qui mandatum dedit verberandi, caedis non habendus est auctor: neque enim caedi iusserat. Caedis commissae rationem is qui eam perfecit solus reddere debet[4]). Incitatio sine voluntate nulla esse potest, semper est dolosa. Ergo a limine eam reicimus[5]).

---

[1]) Philippi, Areopag u. Epheten 36. Schoemann, Fleckeis. Jahrb. 111 p. 162 Anm. Lipsius (Meier-Schoem.), Att. Process p. 384. Herrlich, Verbrechen gegen das Leben nach att. Recht. Berlin 1885. Progr. p. 22. Thalheim in K. Fr. Herrmanns Griech. Antiq. 45. Peperit hunc errorem Antiph. or. VI 16. cfr. p. 34.

[2]) Geib, Strafrecht p. 342: Die Thätigkeit des intellectuellen Urhebers muss eine dolose sein. — Culpose intellectuelle Urheberschaft ist (sowohl bei dolosen wie bei culposen Verbrechen) unmöglich. Bauer, Abh. I 431: Eine culpose Anstiftung ist dem Begriff zufolge ein Widerspruch. cfr. Casse, d. auctoribus delictorum psychologicis p. 19—22.

[3]) Areopag u. Epheten § 37.

[4]) Geib p. 354: Für das verübte schwerere Verbrechen ist zunächst nur der phys. Urheber strafbar. — cfr. Püttmann, Opusc. iur. crim. I de excessu eius cui aut verberatio alicuius aut vulneratio mandata est, mandanti haud imputando. Casse, d. auct. delict. psych. p. 110.

[5]) Vidit hoc iam Wecklein, Philolog. Anz. VIII p. 546.

Poenam homines docti eandem statuunt in auctorem intellectualem atque in physicum; quod videtur eis colligendum ex And. I 94: *τὸν βουλεύσαντα ἐν τῷ αὐτῷ ἐνέχεσθαι καὶ τὸν τῇ χειρὶ ἐργασάμενον.* Putantur enim vulgo duo eis verbis inter se opponi homines, quod quin falsum sit equidem non dubito; longe aliam ei legi vim subesse infra demonstrabimus p. 18.

Quo in iudicio de *βουλεύσεως* crimine iudicatum sit, nondum inter omnes convenit. Harpocration, e cuius auctoritate tota *βούλευσις* pendet, et Areopago et Palladio eam convenisse testis est. Distinguenda igitur videntur duo genera *βουλεύσεως* gravius alterum, alterum levius. Atque primum quidem Boeckhius[1]) Harpocrationem tam presse sequitur, ut ex eventu dividenda esse censeat duo illa genera: Areopagitas iudicasse cum mors esset subsecuta, Ephetas apud Palladium cum eventus non successisset[2]). Hoc enim indicare ei visus est Harpocration verbis: *ἐάν τε ἀποθάνῃ ὁ ἐπιβουλευθεὶς ἐάν τε μή.* Quanquam nimis ille anxius Harpocrationem tuetur, qui distinctionem verbis illis omnino non videtur spectasse. Praeterea autem tale discrimen Atheniensium consuetudini non respondet, neque enim eventus apud eos curatur sed unicus dolus; apud eos quoque valuit lex: »*in maleficiis voluntas spectatur non exitus*«[3]). Sic ad Areopagum deducebatur qui conatus caedem perficere non potuerat (*τραῦμα ἐκ προνοίας*). Itaque non est verisimile in actione *βουλεύσεως* ab hac ratione eos recessisse. Movit hanc dubitationem primus Sauppius[4]) brevi annotatione; quem secutus Lipsius[5]) *βούλευσιν ἐκ προνοίας* Areopago tribuit, Palladio eam quae sine voluntate fuerit. Placet haec distributio, prorsus enim secundum Atheniensium usum facta est. — At videant, qui eam tuentur, quid tandem sit »*βούλευσις ἄνευ προνοίας*«; incitatio non potest esse nisi cum dolo malo. —

Atque hi quidem quod Harpocration testatur duplex iudicium

---

[1]) Ind. lect. Berol. $18^{26}/_{27}$. (Kl. Schr. IV 251.)

[2]) Schoemann, Gr. Alt. I $^{1}472$, $^{2}486$, $^{3}497$ c. nota. Rauchenstein, Philolog. X 602 n. 8. Frohberger, Lys. XII praef. 21 n. 60.

[3]) Hadrianus l. 14: Dig. ad leg. Corn. d. sic. etc. (48, 8).

[4]) Or. Att. II 235.

[5]) Burs. J. B. I 2 p. 1350. Att. Proc. p. 385 n. 534. Rud. Schoell, Jen. Lit.-Ztg. 1874, 748. Busolt, Griech. Gesch. I 412.

retinent; sunt deinde alii, qui testimonio eius spreto uni tantum iudicio eam actionem tribuunt [1]). Non vero quod exspectaveris, crimen illud dolo malo atque insidiis plenum Areopago soli convenisse conantur demonstrare, immo praeter spem atque omnem opinionem Palladio id tribuunt, cui involuntaria tantum crimina competiisse scimus. Harpocrationem autem per malum errorem Areopagi mentionem iniecisse contendunt. Nam quod secundum lexicographum Dinarchus *ἐν τῷ κατὰ Πιστίου* testatur in Areopago iudicatum esse de *βουλεύσεως* crimine, in suspicionem vocat Forchhammerus (l. l. p. 31 not.) hisce: »*Vereor ne multa locutus sit* »*Dinarchus de Pistiae in se insidiis et βουλεύσει, atque ne forte* »*dixerit, Areopagum debere, hominem insidiantem (et φόνον βου-* »*λεύσαντα) praesertim Areopagitam punire vel eiectum eum esse* »*ab Areopagitis (sc. ex Areopago) vel tale quid, quo facile potuit* »*in errorem incidere Harpocration.*« (!) Huic explicationi fidem habeat, cui placet; nos tenemus, quod Harpocration testatur duplex iudicium. —

Iam restat ut breviter orationes percenseamus quas in causa *βουλεύσεως* habitas esse homines docti sibi persuaserunt. E coniectura hoc, ubicunque accidit, factum est; sub ipso enim *βουλεύσεως* nomine ne una quidem tradita est oratio neque in ulla vel uno loco commemoratur *βούλευσις*. Referuntur autem ad eam actionem orationes hae:

Antiphon or. VI. Reus ad Thargelia puerorum chorum instruendum suscepit. Inter exercitationes uni ex pueris, cui nomen Diodoto erat, venenum datur saniferum (*εὐφωνίας χάριν* argum.); quo accepto puer moritur. Existit nunc defuncti frater arguens reum, quod *βουλεύσας* (§ 16) interfecerit Diodotum, concedit idem *μὴ ἐκ προνοίας* mortem effectam esse (§ 19).

Caute et prudenter hanc orationem produxit primus Boeckhius [2]):

---

[1]) Forchhammer, d. Areopago non privato p. 31. K. F. Hermann, de vestigiis p. 48 n. 193, p. 59 n. 242. Maetzner, Antiphon p. 248, p. 282 in addendis. Philippi, Ar. u. Eph. p. 38—51. Gebauer in Frohbergeri Lysiae edit. praef. p. 22. Wiedenhofer, Jahresber. d. K. K. Staats-Gymn. Wien im II. Bezirk 1884 p. 6. Gilbert, Gr. St.-A. I 362.

[2]) Ind. Berol. $18^{26}/_{27}$ p. 7. (Kl. Schr. IV 250.)

»*potuit haec causa βούλευσις videri*«. Multo confidentius et hanc[1]) orationem et primam Antiphontis illi actioni tribuit Forchhammerus[2]).

Ant. I. Noverca viris venenum non ipsa dederat, sed paelice Philonei usa, cui persuaserat venenum sibi esse paratum amatorium, quo in gratiam Philonei ea revocari posset; re vera autem mortem et ipsius marito et Philoneo parabat illo veneno. Quoniam ipsa non effecit mortem, *βουλεύσεως* putatur rea.

Locupletatur deinde haec series a Schoemanno[3]): »*Ceterum* »*βουλεύσεως haud dubie etiam contra eum agi potuit, qui calum-* »*niosa accusatione effecisset ut aliquis ad mortem condemnaretur,* »*quo pertinet Lysiaca causa ctra. Agoratum*«.

Prorsus eodem iure Lysiae or. XII etiam in causa *βουλεύσεως* habitam esse contendit Frohbergerus[4]); neque enim Polemarchum Lysiae fratrem Eratosthenes interfecerat ipse. —

Atque hisce quidem orationibus omnibus quanquam commune est, quod reus non ipse mortem effecit, tamen ne una quidem re vera id, de quo agitur crimen illustrat; ubi enim de incitatione agitur duo utique postulantur rei (qui consilium dedit et qui perfecit rem). Ubi autem est tandem in his orationibus par illud scelestum?

In Antiph. I de incitatione non agitur. Paelex interficiendi consilium a noverca non accepit, ignorabat omnino quae vis inesset potioni illi mortiferae. Is autem incitatus esse dici potest solus, qui aut precibus aut pecunia aut quavis alia ratione adductus est, ut facinus committat[5]). Ergo haec oratio non debuit admoveri. —

In Antiph. VI frustra circumspicio, ubi sit »auctor physicus« qui a reo incitatus puero venenum dederit; in ius praeter reum

---

[1]) Philippi 31. Blass, Antiph. ed. 2 praef. XLVII. Mätzner 248. Herrlich, Verbr. g. d. Leben 22.

[2]) D. Ar. non priv. nota 14 (p. 30). Philippi 38. Blass, praef. p. XLV. Mätzner 282. Herrlich, l. l. p. 10 n. 47. Wiedenhofer, l. l. p. 6.

[3]) Antiq. iur. publ. 290 nota.

[4]) Praef. ed. Lys. p. 13. Gebauer, ed. Lys. Frohb. praef. 15.

[5]) Bauer, Abh. 1 430: Die Anstiftung besteht in der absichtlichen Bestimmung eines andern zur Begehung eines Verbrechens. Zum Dasein derselben gehört die Gewissheit der Thatsache, dass durch sie in dem andern der Entschluss zur That erzeugt worden sei.

nemo vocatur, neque quaeritur omnino. Quid, quod dubitatur num ipse fortasse reus venenum dederit § 17: *αἰτιῶνται δὲ οὗτοι μὲν ὡς οὗτος*[1]) *κελεύσειε πιεῖν τὸν παῖδα τὸ φάρμακον ἢ ἠνάγκασεν ἢ ἔδωκεν*! Qui igitur, si vulgatam *βουλεύσεως* definitionem tuemur, qui potuit fieri, ut incitationis ad caedem actor accusaretur? — Neque in Lysiacis orationibus duabus de incitatione agitur; quemnam quaeso ad caedem instigavit Eratosthenes, quem Agoratus! equidem nullum possum invenire.

Sed haec hactenus. Habes expositam opinionem quae hodie regnat in quaestionibus de caedium iudiciis, in tractatis historicis, in oratorum editionibus plerisque.

Non una tantum e parte laborare eam fortasse iam ex eis apparuit quae passim hic vel illic monui; nunc via et ratione contra eam progrediar.

Quis tandem — hoc primum quaero — quis *βουλεύσεως* actionem institutam esse testatur in eum, qui alterum incitaverit?

Audias Harpocrationem, qui primus audiendus est, quippe qui solus criminis illius et nomen proferat et definitionem; dicit ille quidem haec s. v. *βουλεύσεως*: »*ἐγκλήματος ὄνομα* . . . *ὅταν ἐξ ἐπιβουλῆς τίς τινι κατασκευάσῃ θάνατον*« luculenta sunt eius verba »si quis insidiose machinatur alteri mortem«. Quis vero audivit unquam aut legit *παρασκευάζειν θάνατον* idem esse atque »incitare aliquem ad caedem«! Mirandas certe interpretationes Harpocration iam expertus est; velut docemur »*ἐξ ἐπιβουλῆς*« significare »in absentia«[2]). Quanquam plerique in Harpocratione interpretando omnino non operam posuerunt, — neque potest ille mehercle nisi manifesta vi ad vulgatam sententiam detorqueri, — sed nomine quidem actionis accepto definitionem eius unice veram ex oratoribus ipsis eruere maluerunt. Neque illud quidem vituperandum, si quis suspectum vel obscurum lexicographi locum corrigere conatus, meliora ex ipsis oratoribus recuperaturum esse se sperat; fieri enim potest, ut meliora quam lexica praebent ex ipsis eorum fontibus

---

[1]) Sauppius, ind. lect. Gott. 1873/74 p. 5 — *ὡς αἴτιος, ὅς*.

[2]) Carolius Zinkius, Uffenhemiensis. Act. Semin. Erl. 1884, 3 p. 77: »non *ἐξ ἐπιβουλῆς* sed — praesens«.

lucremur. Id solum miror, quod ne unus quidem e tanta multitudine, quantum dissentiat ab Harpocratione notaverit; immerito enim fortasse in suspicionem incidere possunt, quasi omnino id non animadverterint.

Nunc age limpidum fontem, ex quo hauserunt illi, adeamus : oratores atticos. Caute vero nec temere rem moderemur necesse est, cum in subtili discrimine versemur.

Βούλευσις quam quaerimus ipsa apud oratores nusquam commemoratur, saepissime autem occurrit verbum *βουλεύειν*. Ergo *βουλεύσεως* actionem nunc quidem mittimus, redituri ad eam cum de verbo iudicium constiterit; in huius recta interpretatione totius quaestionis versatur cardo.

De universa illius notione non dubitatur; et simplex verbum et compositum *ἐπιβουλεύειν* significant : consilio aliquid moliri, machinari. Antiph. I 26: *ἡ μὲν γὰρ ἑκουσίως καὶ βουλεύσασα τὸν θάνατον . . . , ὁ δ' ἀκουσίως καὶ βιαίως ἀπέθανε· Γ β. 7 καθαρῷ μέν μοι τῆς αἰτίας ὄντι φόνον ἐπιβουλεύοντες . . . περὶ τὸν θεὸν ἀσεβοῦσιν.* Din. I 30: *οὐκ εἰς μὲν τὴν Ἀριστάρχου οἰκίαν εἰσελθὼν βουλεύσας μετ' ἐκείνου τὸν Νικοδήμῳ θάνατον κατασκευασθέντα . . . ἐξέβαλε τὸν Ἀρίσταρχον ἐπὶ ταῖς αἰσχίσταις αἰτίαις;*

Ex hac generali vi speciales quaedam oriuntur notiones quae facile cognoscuntur ex antithesi. Atque primum quidem qui c u m c o n s i l i o agit (*βουλεύσας*) opponitur ei qui i m p r u d e n t e r aliquid facit sine dolo[1]);

---

[1]) Usitatissimum est verbum *βουλεύω ἐπιβ.* in caede voluntaria; namque qui cum consilio interficit *φόνον ἑκούσιον* committit; ita dolum malum indicat eodem modo atque *ἑκουσίως* vel *ἐκ προνοίας*. Antiph. *Γ. δ.* 5: *τὸν δὲ θάνατον πῶς ἂν ἐπεβούλευσεν ὃς ἀκουσίως ἐπάταξεν; Γ. α.* 7: *ὑμᾶς χρὴ . . . τὴν βουλεύσασαν ψυχὴν ἀνταφελέσθαι αὐτόν.*

Γ. β. 5: »*τὸν ἐπιβουλεύσαντα κελεύει ὁ νόμος φονέα εἶναι*«, vertendum est »percussor habendus est is tandum, qui consilium habuit. Desinant tandem homines docti ad hunc locum provocare quasi eadem poena in eo postuletur pro eo qui consilium dedit atque pro eo qui perfecit rem, quandoquidem non agitur omnino in ea oratione nisi de uno homine, quem sine consilio rem peregisse orator demonstraturus est. Quod quamquam in aperto est orationem legenti, tamen omnibus fere falso intellegitur. — Philippi, Areop. 37, 118. Frohberger, praef. Lys. XII. Gebauer, ibidem. Busolt, Griech. Gesch. I 412 nota. Thalheim in Herm. Gr. Antiq. p. 45.

deinde *βουλεύειν*, consilium moliri, opponitur perficiendo (*πράττειν ποιεῖν*), ut conatum significet (cfr. p. 17 nota 2); tertia etiam est antithesis *βουλεύσας ἀποκτείνω — χειρὶ ἐργαζόμενος ἀποκτ.* (Andoc. I 84) quae quidem postrema quaestioni nostrae gravissima errorem peperit eorum, qui *βουλεύειν* significare censent »incitare«. Cum enim *χειρὶ ἐργάζομαι* intellegatur vulgo = ipse interficio, nimirum *βουλεύω* debet esse: »incito alterum« vel »alterius ope utor«. Itaque totum locum »*τὸν βουλεύσαντα ἐν τῷ αὐτῷ ἐνέχεσθαι καὶ τὸν τῇ χειρὶ ἐργασάμενον*« vertamus necesse est: Is qui incitavit alterum in eodem teneatur atque is qui rem perfecit. Atque vulgo hoc probatur; quod si verum est, re vera habemus *βουλεύσεως* actionem instituendam in eum, qui consilium facinoris subministravit.

At primum quidem dubius haereo num *βουλεύειν* dici possit de »incitando« (Philippi p. 29 Anstiftung). Obiectum enim non secum habet illud verbum nisi rem: *ἐπιβουλήν, φόνον, θάνατον* vel tale aliquid; *βουλεύω τινά* inauditum est. Ubi autem re vera verba fiunt de eo qui incitavit alterum aut persuasit, alia semper usurpantur verba: *κελεύω, παρακελεύομαι, ἐπιτάττω*. Dem. 54, 25: *ὅτι τῷ πατάξαντι τύπτειν παρακελεύσατο*. Democritus apud Stob. 44, 19: *κιξάλλην καὶ λῃστὴν κτείνων τις ἀθῷος ἂν εἴη καὶ αὐτοχειρὶ ἢ καὶ κελεύων καὶ ψήφῳ*. Nov. 142 c. 1: *τοὺς ἐπιτάξαντας*. »Incitare« igitur statim removendum esse nemo non videt; quod quidem tollitur mendum, si quis cum Forchhammero[1]) *βουλεύειν* verbum vertit: »*auctorem esse intellectualem*«. Contra grammaticam quidem haec versio non peccat; tamen non magis ea toleranda est; quod e totius loci sententia facile demonstrabitur. Quaecunque enim interpretatio in ea lege duos distinguit homines, falsa utique est. Ipse facias iudicium; constabit post unam eam paragraphum perlectam. And. I 94: *Μέλητος δ' αὖ οὑτοσί ἀπήγαγεν ἐπὶ τῶν τριάκοντα Λέοντα, ὡς ὑμεῖς ἅπαντες ἴστε, καὶ ἀπέθανεν ἐκεῖνος ἄκριτος· καὶ οὗτος ὁ νόμος καὶ πρότερον ἦν, καὶ ὡς καλῶς ἔχων καὶ νῦν ἔστι, καὶ χρῆσθε αὐτῷ: τὸν βουλεύσαντα ἐν τῷ αὐτῷ ἐνέχεσθαι καὶ τὸν τῇ χειρὶ ἐργασάμενον*. Ergo Andocides rem habet cum Meleto, qui sub triginta virorum turbulento imperio coercuit Leontem mortique eum dedit insidiosa accusatione. Jam

---

[1]) D. Ar. non pr. p. 31.

Andocides Leontis praeter fas atque ius occisi morte iratus pro percussore habendum esse atque puniendum Meletum demonstrat, quamvis non percusserit Leontem; vetusta enim atque iustissima lege statutum esse: »ut is qui caedem excogitasset eodem modo puniretur atque alter ille qui eam perfecisset«! — ita quidem e vulgata interpretatione. — Intellego; *ὁ βουλεύσας* est Meletus, neque enim ipse ille occiderat Leontem; ubi autem est tandem maleficus alter, qui caedem perfecit, quanam affectus est poena gravissima sed iusta ea, qua eadem dignus etiam Meletus habendus est? Perfecit caedem carnifex; in iudicium autem, ut opinor, non vocatus est, liber est ab omni poena[1]). Quid autem Andocidi tandem in mentem venit ut eandem Meleto irrogaret poenam; nonne verbis suis risum potius quam misericordiam iudicum moturus erat? ineptius rem suam moderari eum non posse facile concedes. An fortasse interpretatio falsa erit? Spero equidem rem ita se habere, spero etiam, nullum mihi esse iraturum quod nostratium errorem impugnare malo quam ineptias non ferendas imputare Andocidi. In lege ea verba non fiunt de auctoribus »intellectuali et physico«; omnino non opponuntur sibi duo homines.

At *χειρὶ ἐργάζομαι* significat: ipse perficio; ergo opponitur necessario alter homo!

Hoc ipsum est quod nego; errore hoc acceptum alterum produxit errorem. Falsum est quod vulgo dicitur *χειρὶ ἐργάζομαι* idem esse atque »ipse interficio«, neque id quod opponitur *βουλεύω* significat »alterius ope utor«; penitus inveteravit hic error, funditus evellendus est. *χειρὶ ἐργάζομαι* simpliciter est: manu ago. *χειρὶ ἐργαζόμενος ἀποκτείνω*, manu agens interficio. Si quis non per manum agit, alio id faciat modo, alio membro: pede, si dis placet. Rides fortasse. Quanquam non mihi est in animo iocari in rebus seriis; audias ius iurandum Amphictyoniae Delphicae (Aesch. II 115): *καὶ ἐάν τις ἢ συλᾷ τὰ τοῦ θεοῦ ἢ συνειδῇ τι ἢ βουλεύσῃ τι κατὰ τῶν ἱερῶν, τιμωρήσειν καὶ χειρὶ καὶ ποδὶ καὶ φωνῇ καὶ πάσῃ δυνάμει.* Ager Cirrhaeus exsecratur hisce (Aesch. III 110, 120): *καὶ ἐπὶ τούτοις ὅρκον ὤμοσαν ἰσχυρὸν μήτ' αὐτοὶ*

---

[1]) Rem apertam e Romano iure exemplo illustrare liceat L. 167 § 1. Dig. d. reg. iur. (50, 17). Qui iussu iudicis alqd. facit, non videtur dolo malo facere quia parere necesse habet. cfr. Geib, Strafr. § 90.

τὴν ἱερὰν γῆν ἐργάσεσθαι μήτ᾽ ἄλλῳ ἐπιτρέψειν ἀλλὰ βοηθήσειν τῷ θεῷ καὶ τῇ γῇ τῇ ἱερᾷ καὶ χειρὶ καὶ ποδὶ καὶ πάσῃ δυνάμει. Audias tertium plebiscitum Demophanti (Lyc. Leocr. 127): διομωμόκατε δ᾽ ἐν τῷ ψηφίσματι τῷ Δημοφάντου κτείνειν τὸν τὴν πατρίδα προδιδόντα καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ καὶ χειρὶ καὶ ψήφῳ[1]).

Jam vero non in iuris iurandi formulis tantum a sermone vulgari remotissimis tale quid invenies sed ceteroquin saepius velut Thuc. III 82 s. fin.: ἢ μετὰ ψήφου ἀδίκου καταγνώσεως ἢ χειρὶ κτώμενοι τὸ κρατεῖν. Antiph. V 92: καὶ μὴν τὴν ἴσην γε δύναμιν ἔχει ὅστις τε ἂν τῇ χειρὶ ἀποκτείνῃ ἀδίκως καὶ ὅστις τῇ ψήφῳ.

Videsne, id quod volumus quam maxime hisce iam effectum esse testimoniis; nonne luculentissime demonstratum est, unam tantum e multis rationem indicari, si quis χειρὶ utitur? falsissimi sunt, qui alterum hominem necessario opponendum esse contendunt.

Confecta est res; tamen facere non possum quin morer in Antiph. VI loco illustrissimo; egregie enim ille rem nostram tuetur. Argumentum orationis supra (p. 5) iam expositum est; frater Diodoti actorem arguit interfecisse puerum »βουλεύσαντα τὸν θάνατον, contra reus asseverat ἐγὼ δὲ μὴ ἀποκτεῖναι, μήτε χειρὶ ἀράμενος μήτε βουλεύσας (§ 16). Verborum structura accurate rem perpendenti nihil praebet offensionis; dativus χειρὶ referendus est ad verbum ἀποκτεῖναι sicut Ant. V 92 τῇ χειρὶ ἀποκτείνω. Thuc. III 82: χειρὶ κτᾶσθαι; participium ἀράμενος ex singulari sermonis Graeci consuetudine additum est, scilicet ne unum in actione describenda membrum deesset vel parvulum; saepissime ita diserte apud Graecos, quae nos quidem subaudire solemus, participia adduntur; ad ἀράμενος deinde supplendus est in cogitatione accusativus τὴν χεῖρα velut Aristoph. Aves 56: »σὺ δ᾽ οὖν λίθῳ κόψον λαβών (sc. λίθον) vel. v. 1004: ὀρθῷ μετρήσω κανόνι προστιθείς (sc. κανόνα)[2]). Quod deinde Maetznerus[3]) monuit activam verbi formam ἄρας postulari, refutavit Vahlenus, qui totum hunc locum egregie tutatus est (l. l. p. 10) testimonio

---

[1]) cfr. Plebisc. Demophanti And. I 97, quod mutilum cum tradatur collato Lyc. Leocr. 127. Sauppius restituit ita: κτενῶ <καὶ λόγῳ κ. ἔργῳ κ. ψήφῳ καὶ>· τῇ ἐμαυτοῦ χειρὶ κ. τ. λ.

[2]) Kühner, Gr. Gramm. 1080 3a. — Vahlenus, Ind. lect. Berol. 1879.

[3]) ad Antiph. p. 258.

allato Aristotelis Rhet. I 13 p. 1374a: ἐὰν ἐπάρηται τὴν χεῖρα ἢ πατάξῃ.

Omnia igitur recte sibi constant neque temptandus erat locus. — Quanquam Dobraeus, cui displicebat tradita lectio, collato And. I 94 scribi iussit: μήτε χειρὶ ἐργασάμενος μήτε βουλεύσας[1]). Gratissima haec coniectura obvenit omnibus eis qui, quanquam falso, consueverant χειρὶ ἐργάζεσθαι idem habere atque »ipse interficio«, summaque sententia loci ita eis intellecta est: »nego me aut ipsum aut alterius ope usum interfecisse Diodotum«. — Ad talem vero notionem nullo interpretationis artificio, sic ut traditus est locus detorqueri poterit. Immo quod dicit reus »non interfeci eum manu, levans eam« utique propria sua vi intellegendum est: non manu eum occidi, non cruenta caede necavi[2])! Quem enim ad finem percussorem putas manum levare nisi ut feriat, vulneret, trucidet. Si hoc quoque testimonio probari vis, respicias ad Aristotelis locum supra allatum.

Manifesta vis indicatur ubicunque χειρὶ aliquis egisse dicitur. Quid tandem Ant. V 92 et Thuc. III 82 iniusto iudicio opponitur nisi aperta vis armorum? eandem antithesin luculentis verbis profert Aeschines II 114: ἠξίουν μὴ μεθ' ὅπλων ἀλλὰ μετὰ ψήφου καὶ κρίσεως τἀκεῖ καθιστάναι; ad amussim ὅπλα respondent voci χειρὶ apud Antiph. et Thuc. Cruentam caedem ita indicari solere innumerabilia docent testimonia:

Antiph. Tetral. Γ. reus perfecit caedem (γ. 3): ἀκμαζούσῃ τῇ ῥώμῃ τῶν χειρῶν; et quomodo eum interfecit? : τύπτων καὶ πνίγων (α. 6). Lys. or. IV: reus adversarium suum sub manibus habuit, ὑποχείριον λαβών (§ 5), pugnis, πύξ, invectum se esse in eum ipse narrat (§ 5). Armata deinde manu Orestes matrem

---

[1]) Probarunt Dobraei coniecturam et editores omnes — praeter Turicenses — et reliqui viri docti qui locum tetigerunt plerumque e silentio.

[2]) Noli vero in eo haerere quod cruenta caede puerum se interfecisse reus negat, cum hoc quidem nemo ei obiciat. Duae sunt omnino interficiendi rationes aut manifesta aut non manifesta. Itaque omnem suspicionem funditus depugnaturus, utramque caedis rationem per se ponit ut ambo refutet. Vahlen, l. l. p. 1 (ad Platonis Philebum): »ea enim est vis copulatorum contrariorum, non ut utrumque per se spectetur sed ut coniunctis duobus una efficiatur sententia universa«, quam rem illustravit multis exemplis. —

percussit. Aeschyl. Eum. 582: ξιφουλκῷ χειρὶ πρὸς δέρην τεμών. Agam. 110: σὺν δορὶ καὶ χειρὶ πράκτορι v.: 1480: δαμεὶς δάμαρτος [1]) ἐκ χερὸς ἀμφιτόμῳ βελέμνῳ. Soph. Oed. C. 835: τάχ᾽ ἐς βάσανον εἶ χερῶν. 1296: οὔτε νικήσας λόγῳ | οὔτ᾽ εἰς ἔλεγχον χειρὸς οὐδ᾽ ἔργου μολών. Herodot VIII 89, IX 48: χειρῶν νόμος. cfr. Aeschin. I 5 c. schol. Thuc. IV 43: ἦν ἡ μάχη καρτερὰ καὶ ἐν χερσὶν πᾶσα. Plato leg. 633 B: ἐν ταῖς πρὸς ἀλλήλους ταῖς χερσὶν μάχαις. Xen. Hell. VII 2, 14: ἐκ χειρὸς μάχεσθαι. Animadvertendae sunt etiam notissimae illae formulae: χεῖρας συνάπτειν, εἰς χεῖρας ἰέναι; qui pronus est ad rixas ὀξύχειρ vocatur Lys. IV 8; qui incipit eas et in forensi usu et in cotidiano sermone dicitur: ἄρχων χειρῶν ἀδίκων Antiph. Γ. β. 1, 2, 6. Lys. IV 11. Dem. XXIII 50. Plato leg. IX 869 c. cfr. Mätzner, Ant. 184: qui cruenta caede percussit alterum habetur οὐ καθαρός τὰς χεῖρας. Antiph. V 11, 82. Aesch. II 148 propria vi hoc intellegendum: sanguine enim interempti inquinatae sunt percussoris manus [2]). Denique, qui χειρὶ utitur, manifesta vi occidit aut nudis manibus aut armatis sive fusti sive lapide sive telo gladiove [3]). —

Unum eiusdem rei testimonium asseram e latino sermone vel potius e iure romano: (L. 51 pr. Dig. ad l. Aquil. IX 2) Julianus: »*occidisse dicitur vulgo quidem, qui mortis causam quolibet modo praebuit, sed l. Aquilia is demum teneri visus est, qui adhibita vi et quasi manu causam mortis praebuisset tracta videlicet interpretatione vocis a caedendo et a caede*« (cfr. Festus s. v. occisum). Ergo apud eos quoque cruenta caedes per »manum« indicatur, ut par est apud omnes qui imaginibus e rerum similitudine deductis narrationem illustrare student. Quam illustrem in hac symbolica dictione locum »manus« obtineat, egregie exponit R. de Jhering [4]).

Mitto hoc; ad Graecos revertamur. Ad eandem quam evicimus iam notionem verbi χειρὶ ἐργάζομαι, deducimur prorsus ex alia

---

[1]) Add. Engerus.

[2]) χερομυσῆς Aeschyl. Ch. 66: e Porsoni coniectura, pro χαιρομυσῆ.

[3]) Similiter Romani loquuntur: committere, conserere manum, in manum venire. vim et manus afferre; similiterque nos: Hand anlegen, handgemein werden, Handgemenge.

[4]) Geist d. Röm. R. II 2 p. 569 ed. 3.

parte. Vetustum est nomen *παλαμναῖος*, significat percussorem. Aesch. Eum. 444 Minerva Orestem alloquitur:

ἄφθογγον εἶναι τὸν παλαμναῖον νόμος
ἔστ' ἂν πρὸς ἀνδρὸς αἵματος καθαρσίου
σφαγαὶ καθαιμάξωσι νεοθήλου βοτοῦ.

Qui Pompeium trucidaverat *παλαμναῖος* vocatur a Plutarcho Pomp. 80. Vindicat hoc percussorum genus *Ζεὺς παλαμναῖος* ([Aristot.] d. mund. VII 1) quo nomine vocatur ab iis qui persequuntur percussorem. Apoll. Rh. IV 708:

»*καθάρσιον ἀγκαλέουσα*
Ζῆνα παλαμναῖον τιμήορον ἱκεσιάων« [1])

ubi scholiasta: *παλαμναῖον λέγει τὸν φόνον εἰργασμένον.* Jam vero non quilibet interfector vocatus esse ita videtur sed certum tantum genus, cuius imprimis vindex habitus est Jupiter. Complecti autem nomen illud peculiariter eos qui c r u e n t a m caedem commiserint et ex testimois supra allatis colligimus et insuper lexicographi testantur. Photius s. v. *παλαμναῖος* = *φονεύς*; quod nomen cruentae caedis auctorem indicare et etymologia docet et usus dicendi (cfr. p. 24 not.) *παλαμναῖος* autem est *παλάμαις ἐργαζόμενος* . *παλάμη* = *χείρ* (cfr. eundem Photium *παλ. λέγονται οἱ διὰ χειρὸς ἀνδροφονοῦντες παρὰ τὴν παλάμην*). Ergo haec constituenda est series: *χειρὶ ἐργαζόμενος* = *παλάμαις ἐργ.* = *παλαμναῖος* = *φονεύς* : i. e. c r u e n t a e c a e d i s a u c t o r!

Abstinemus pluribus, ne fatigemus lectorem; per manum cruenta caedes efficitur; haec est interficiendi ratio intelligenda, ubicunque *χειρὶ ἐργάζεσθαι* verbum positum est. —

Quae cum ita sint de veneno non magis recte dici poterit, quam si dicas »veneno trucidare« (totschlagen mit Gift). Ac re vera quanquam Philippi quidem in Ant. or. I ita distribuit partes ut paelicis sit *χειρὶ ἐργάζεσθαι*, tamen illud quidem verbum vitavit Antiphon, immo aptissima ille de paelice verba posuit haec: § 15 *αὑτῆς* (novercae) *τὸ εὕρημα* . . *ἐκείνης δ' ὑπηρέτημα.* — § 16 *διακονεῖν* idem 17, 18, 20, Quae quidem verba prorsus in eam actionem quadrant, quam paelex voluntati nefariae novercae indulgens susceperat.

---

[1]) *παλαυναίων* L. *παλαμναῖον* Fr. Spiro commilito.

Praeter omnem opinionem autem accidit, quod in eadem oratione (§ 20), quamvis agatur de veneno, legitur verbum *χειρουργεῖν*; quod quidem in universum idem fere significare manifestum est atque *χειρὶ ἐργάζεσθαι* quocum necessitatis quodam vinculo arcte coniungitur. Ergo illi quidem verbo non rectius atque huic in Ant. I locus concedendus videtur. Iam vero ne temere in eam rem ingredi videamur accurate in verbum quoque *χειρουργεῖν* inquiramus.

Videndum autem erit primum de notione nominis *χειρουργός*· inde enim verbum illud originem duxit eodem modo atque *κακουργεῖν* a *κακοῦργος*, *πανουργεῖν* a *πανοῦργος* etc.

χειρουργοί ei vocantur homines, qui per manum victum sibi quaerunt : operarii (Handwerker); complectebantur antiqui sub eo nomine artifices etiam, sculptores et pictores. Plato Symp. 203 a: *θεὸς δ' ἀνθρώπῳ οὐ μίγνυται ἀλλὰ διὰ τούτου* (*τ. δαιμονίου*) *πᾶσά ἐστιν ἡ ὁμιλία καὶ ἡ διάλεκτος θεοῖς πρὸς ἀνθρώπους, καὶ ἐγρηγορόσι καὶ καθεύδουσιν· καὶ ὁ μὲν περὶ τὰ τοιαῦτα σοφὸς δαιμόνιος ἀνήρ, ὁ δ' ἄλλο τι σοφὸς ὢν ἢ περὶ τέχνας ἢ χειρουργίας τινὰς βάναυσος*. Aelian. Var. hist. XII 7: *καὶ τὴν σφίγγα Αἰγύπτιοι χειρουργοὶ γλύφοντες πειρῶνται δεικνύναι* cfr. XVII 9.

Imprimis autem *χειρουργός* vocatur medicus cuius est *κάειν καὶ τέμνειν*; in plures enim divisa est partes medicorum ars, quarum altera morbos sanat venenis, diaeta; altera vulneribus operam dat curandis, amputationes tractat; denique omnia ea quae per manum geruntur. Galen. in Hipp. d. vict. acut. I 5 XV 425 K: *καθάπερ ἡ διὰ συνήθων τομῶν τε καὶ καύσεων καὶ τῶν ἄλλων ὅσα διὰ χειρῶν ἐνεργεῖται χειρουργία* (scil. *καλεῖται*). Philo Jud. I 526 Mang.: *φαρμάκοις γὰρ καὶ χειρουργίαις καὶ διαίταις ἀλλ' οὐ λόγοις αἱ νόσοι θεραπεύονται*. Sext. Empir. adv. M. I 95 (adv. Gramm. c. 4). Plut. Marius 6. Schol. Il. Ven. B. ad. *Λ* 515). Nunc etiam apud nos medicinae creantur doctores: »Medicinae, chirurgiae artisque obstetriciae«.

Prorsus easdem notiones exhibet verbum *χειρουργεῖν*; genuina vis »per manum agere« non delituit (Ael. V. h. IX 11 de pingendo. Plut. Mor. 71 A. d. medico). Cum de caede agatur nimirum significat : vulnerare trucidare : Thuc. VIII 69: »*τούτων διατεταγμένων οὕτως ἐλθόντες οἱ τετρακόσιοι μετὰ ξιφιδίου ἀφανοῦς*

ἕκαστος καὶ οἱ εἴκοσι καὶ ἑκατὸν μετ' αὐτῶν [Ἕλληνες] νεανίσκοι, οἷς ἐχρῶντο εἴ τί που δέοι χειρουργεῖν, ἐπέστησαν τοῖς ἀπὸ τοῦ κυάμου βουλευταῖς οὖσιν ἐν τῷ βουλευτηρίῳ«. Scilicet armatos secum adduxerunt ut manifesta vi res turbarent, si non e voluntate eis cederent. Apud omnes denique bonae aetatis scriptores non usurpatur illud verbum nisi de actionibus quae re vera manu fiunt.

Sero demum atque insolenter haec notio inflexa est, ut in universum significaret: perficere. Notavit malum hunc usum Lobeckius, vir Graeci sermonis egregie peritus. (Phrynich. 120) *»Simili audacia verba αὐτουργεῖν et χειρουργεῖν ab operariis ad eos traduxerunt, qui per se aliquid agunt, non aliena ope utentes«* (scil. Dio Appianus Synesius reliqui huius generis scriptores). Certe apud oratores atticos genuina verbi vis nondum in universam eam notionem detorta est. —

Quae postquam exposuimus ad locum illum Antiph. I aggrediamur; legitur autem ibi *χειρουργεῖν* § 20: *»ἀνθ' ὧν ἡ μὲν διακονήσασα ἔχει τὰ ἐπίχειρα, ὧν ἀξία ἦν, οὐδὲν αἰτία οὖσα (τῷ γὰρ δημοκοίνῳ τροχισθεῖσα παρεδόθη), ἡ δ' αἰτία τε ἤδη καὶ ἐνθυμηθεῖσα καὶ χειρουργήσασα ἕξει, ἐὰν ὑμεῖς τε καὶ οἱ θεοὶ θέλωσιν.* — De noverca *χειρουργεῖν* quo modo dici possit non video; ne adfuit quidem illis sacris funestis neque ullam facinoris habuit partem praeter consilium, quod excogitavit. Ergo ex loco quo traditur statim eiciendum esse facile perspicitur. Non minus autem falsum est quod Blassius id paelici tribuit[1]); ita enim paelex cogitanda est viris cum poculo, quo venenum inerat, caput infregisse. — Ineptum est glossema atque recens ad *διακονήσασα* adscriptum in margine, unde in verborum ordinem falso insuper loco insertum est[2]).

Diu versati sumus in *χειρὶ* nominis vera vi eruenda; quanquam non potuit antiquus error atque gravissimus levi brachio e medio tolli. Vidimus nos, manu cruentam effici caedem unam

---

[1]) Philippi p. 39 nota 52 silentio probavit eam coniecturam; Jernstedt ad Antiph. Ignatius d. elocutione Antiph. s. v. *χειρὶ*.

[2]) de Wilamowitzius, quanquam *χειρουργεῖν* nihil aliud esse concedit atque »trucidare«, tamen nihil mutari vult; insolenter quidem dictum esse verbum de caede veneno effecta; eiusdem autem libertatis vestigia apud Antiphontem exstare I § 20: *τὸν ἑαυτῶν φονέα μεταχειριζόμενοι* de poculo et § 26: *ὁ δ' ἀκουσίως καὶ βιαίως ἀπέθανε*. de voce *βίαιος* confer p. 19 cum nota.

eam esse e multis interficiendi rationibus, opponitur ei quaevis alia, cum quis insidias machinatus quaslibet clandestinas consilio magis quam vi aperta (verberibus vulneribus) mortem paraverit[1]). Haec autem explicatio quam bene conveniat genuinae verbi βουλεύειν notioni non opus est multis exponi[2]).

---

[1]) Miror quam prope iam ad verum aggressi tamen ad falsa delapsi sint viri docti. Vix crediderís eundem a quo »*incitatio*« oritur Forchhammerum loqui, cum audias (d. Ar. n. priv. p. 30): »*Est vero βούλευσις id crimen, quo quis quacumque sit ratione ipse tamen a necando manus abstinens, hominem morti studeat dare.* similiter Weber ad Dem. Aristocrateam p. 148 n.: βούλευσις, *qua quis ex insidiis vel alia ratione non admotis manibus alterum necare studuit.*

[2]) Supra p. 9. iam monui opponi posse »consilium moliri« — »efficere«; cuius antithesis prior pars cum exprimatur per βουλεύειν, altera ut per χειρὶ ἐργάζεσθαι unice proferatur, tantum abest ut saepissime invenias verba ποιεῖν, πράττειν, δρᾶν etc. Aeschyl. Ag. 1605: ὃς οὐκ ἐπειδὴ τῷδ' ἐβούλευσας μόρον | δρᾶσαι τόδ' ἔργον οὐκ ἔτλης αὐτοκτόνως. Andoc. II 20: τοὺς ἄνδρας τοὺς ταῦτα βουλεύσαντας — καὶ πράξαντας. Xen. Cyrop. VIII 7, 3: μήτε ἀσεβὲς μηδὲν . . . μήτε ποιήσητε μήτε βουλεύσητε; ibid. III 1, 15: ὅσα βεβούλευται ἢ ὅσα πέπραχε. Dion. Hal. Arch. R. II 118: τοὺς πατρικίους βουλεῦσαι τὸν φόνον . . . πρᾶξαι δὲ τὸ ἔργον ἐν τῷ βουλευτηρίῳ. Iulian. in Constant. laud. 26 B.: Γαλατία ἀδελφῷ τῷ σῷ ἐβούλευσέ τε καὶ ἐτέλεσε τὸν φόνον. Synes. Ep. 44 p. 181 D.: οὐ πράξας ἀλλὰ βουλεύσας τὸν φόνον. — Verba autem χειρὶ ἐργάζεσθαι, χειρουργεῖν ita demum ponuntur, ubi re vera vi manifesta aliquid peractum esse exprimendum est. cfr. Dem. XIX 21. Aesch. II 117. Falso igitur putatur χειρὶ ἐργάζεσθαι terminus quidam esse technicus de »efficiendo alterius consilio«.

Non minus confidenter neque minus falso vulgo credunt, ei qui consilium concepit, τῷ βουλεύσαντι, utique opponi debere alterum hominem qui efficit illud; quasi non posset unus idemque homo et consilium concipere et peragere rem! Paucis haec res illustranda. Ex opinione quidem accidit vulgari quod Aeschyl. Ag. 1585 ex Aegistho quaeritur, num ἐβούλευσε caedem Agamemnonis; cum rem non perfecerit ipse, de incitando hoc fortasse videatur tibi dictum esse. At hoc non ferendum esse V. 1598 demonstrat; ex Clytaemnestra enim, cuius crimen incitationem esse nemo affirmabit, quaeruntur eadem: γύναι σὺ . . . . ἀνδρὶ στρατηγῷ τόνδ' ἐβούλευσας μόρον; »num tu struxisti duci caedem«? — Vides igitur τὸν βουλεύσαντα non per alterum semper sed ipsum etiam posse rem perficere.

Etiam Dem. XIX 21 vereor ne falso intellegatur: ‚Thebani (ut qui consilium dederint) non minus sunt puniendi quam Phocenses' (qui rem perfecerunt) — neque enim Thebanos consilium dedisse Phocensibus, neque in utrosque Philippum invecturum esse dixerat Aeschines, sed in Thebanos potissimum. διδάσκειν γὰρ αὐτός (Aesch.) ἔφη τὸν Φίλιππον ὅτι οὐδὲν ἧττον ἠσεβήκεσαν οἱ βεβουλευκότες τῶν ταῖς χερσὶν

Ad amussim autem ea consentit cum Harpocratione, quem immerito spreverunt homines docti quasi nullius esset pretii; id ipsum enim quod ex oratoribus efficimus illius indicatur verbis: »ἐξ ἐπιβουλῆς κατασκευάζειν θάνατον«. Non debuit ille contemni.

Andocides autem non iam — id quod ineptissimum esset atque ridiculum — auctori intellectuali opponit (I 94) auctorem physicum: i. e. carnificem; sed sane et sobrie legem quae in Meletum quadrat profert hanc: »Si quis insidiose machinatus interfecerit alterum, in eodem teneatur ac si cruentam caedem effecisset: i. e. tenendus sub φόνου legibus«! Ad hanc quidem legem rectissime provocavit Andocides; namque occiderat Meletus Leontem non χειρί, sed nomine delato iniusti iudicii periculis eum obruit, itaque auctor ei extitit mortis.

Sic et oratores accurate interpretati Harpocrationemque tuiti

---

πραξάντων; itaque ita explicandus erit locus: Thebani in animo quidem habuerunt occupationem templi; consilium autem pro facto habendum — ergo Thebani puniendi sunt non minus ac si re vera facinus commisissent.

Neque Aesch. II 117 duae sunt factiones, quarum alteri consilium convenit alteri res peragenda: συλλεγέντων δὲ τῶν Ἀμφικτυόνων εἰς τὸ ἱερὸν . . . τοὺς αἰτίους τῆς ἐξ ἀρχῆς καταλήψεως τοῦ ἱεροῦ δίκης ἠξίουν τυχεῖν, μὴ τὰς πατρίδας ἀλλ' αὐτοὺς τοὺς χειρουργήσαντας καὶ βουλεύσαντας. Eosdem homines intellegere debemus αὐτοὺς τοὺς χειρουργήσαντας καὶ βουλεύσαντας, Si enim alii fuissent, qui consilium moliti essent, articulus ante βουλεύσαντας non potuit deesse. Ne vero supervacaneum putes esse hoc verbum. Ex eo enim quod rem dicuntur βουλεῦσαι etiam, gravioris criminis deducitur argumentum, quippe cum maius videantur peccasse, qui totum facinoris consilium conceperint et foverint, quam si forte uno repenti impulsu capti ad vim et arma rapti esse viderentur. Conferas ad hanc rem And. II 20: ἐγὼ τοίνυν τοιοῦτος . . ἐγενόμην, ὥστε τοὺς ἄνδρας τοὺς ταῦτα βουλεύσαντας ἐφ' ὑμῖν καὶ πράξαντας ψευσθῆναι τῆς αὐτῶν γνώμης, cf. reliqua in fronte huius notae collecta testimonia. Ut autem nemo iam negabit, eundem qui rem invenit perficere eam posse ipsum, ita equidem fieri posse concedo ut quis perficiat rem quam alter excogitavit (ἐβούλευσε). Quam in rem inquirenti exemplum se offert unum Aristot. Rhet. I c. VII 13: ὁ Λεωδάμας κατηγορῶν ἔφη Καλλιστράτου τὸν βουλεύσαντα τοῦ πράξαντος μᾶλλον ἀδικεῖν, οὐ γὰρ ἂν πραχθῆναι μὴ βουλευσαμένου· πάλιν δὲ Χαβρίου τὸν πράξαντα τοῦ βουλεύσαντος, οὐ γὰρ ἂν γενέσθαι εἰ μὴ ἦν ὁ πράξων. Pace mea plura etiam afferantur. Quidni enim cogitari potest res, quam hic quidem excogitavit, perfici ab illo? βουλεύειν et πράττειν duae sunt actiones, quae aut duobus aut uni eidemque homini convenire possunt. Incitationis notionem verbo βουλεύειν inesse ne eiusmodi quidem exemplis demonstrabitur.

χαίρειν iubemus »auctorem iutellectualem«, quem sine ulla veritatis specie invenerunt sibi homines docti.

Quanquam exsistit contra me adversariae partis vindex gravissimus: — Plato! In ea enim ille legum parte quae ad caedes pertinet non uno tantum loco sed saepissime distinguit duo caedium genera, e quibus cum alterum sit *αὐτοχειρία*, alterum vix videatur aliud cogitandum nisi incitatio (leg. IX 872 a: *ἐὰν δὲ αὐτόχειρ μὲν μὴ . . . βουλεύσῃ δὲ θάνατον ἄλλος ἑτέρῳ.* 872 b: *εἴτε αὐτόχειρ εἴτε βουλεύσας*. ibidem d: *(τοὺς) αὐτόχειρας φόνους . . . ἢ δι' ἐπιβουλεύσεως γενομένους.* 871 a: *αὐτόχειρ*).

Ergo quod depugnasse iam mihi visus eram rursus emergit crimen *βουλεύσεως* illustrissimo testimonio firmatum; re vera curatur utrum ipse quis an alterius ope usus caedem perfecerit!? Calcem conspexi, iam tetigisse eam mihi visus eram — nunc recedere cogor? Neque possumus tergiversari; non obscure Plato loquitur: illum si sequamur ducem a vero non aberrabimus. Profecto totum me addico ei, atque egregie ille ipsam quam sectamur rem tuetur, modo eum audias, modo ne contentus sis frustulis parvis hinc vel illinc decerptis. Distinguit sane caedem *αὐτοχειρίᾳ* perfectam ab ea quam *βουλεύσας* quis effecerit; qui autem contra me hunc apparatum movebit, eum serena fronte per indicem tantum ad Platonem descendisse et coarguam et convincam! qui enim legit Platonem non potuit praetervidere luculentissimam duorum caedis generum explicationem quam in fronte illius legum partis invenies. Postquam enim Plato quinque divisit genera, diversa e dolo malo atque ex affectu, perfici docet omnes caedes duabus rationibus, 864 c *το μὲν διὰ βιαίων καὶ ξυμφανῶν πράξεων πραττόμενον ἑκάστοτε . . . τὸ δὲ μετὰ σκότους καὶ ἀπάτης λαθραίως γιγνόμενον.* —

Prius illud *βίαιον* genus *αὐτοχειρίᾳ* respondet manifesta vi peractum verberibus atque vulneribus[1]), (868 c *πληγαῖς ἤ τινι τρόπῳ βιαίῳ*, 879 b *βίαιον τὸ τῆς αἰκίας πᾶν γένος*); insidiis vero clandestinis nec manifesta ratione qui utitur *βουλεύσας* interficit. — Duae r a t i o n e s sibi opponuntur (*αὐτόχειρ — βουλεύσας*), non duo h o m i n e s.

---

[1]) Conferas de hac re Aesch. I 172: *Νικόδημος . . . τετελεύτηκε βιαίῳ θανάτῳ, ἐκκοπεὶς ὁ δείλαιος ἀμφοτέρους τοὺς ὀφθαλμοὺς καὶ τὴν γλῶτταν ἀποτμηθείς.*

Nos quidem vernaculo sermone consuevimus quasi nihil interesset promiscue dicere »eigenhändig = in eigner Person«. Pleraque enim quae facimus e condicione humana per manum fiunt; nemini autem ut opinor placeat, si quis dicat (ipse venio) *αὐτόχειρ ἥκω* — nisi forte erit acrobates[1]). Apud Graecos, ut in reliquis iam demonstravi verbis, vigebat genuina vis vocis, neque *αὐτόχειρ* dici potest, nisi qui re vera »ipsa manu«[2]) usus erat. Possum hoc per totam Graecitatem persequi, quanquam in Platonis luculentissima definitione eo magis acquiescendum esse censeo, quoniam non linguae solum Graecae testatur ille consuetudinem, sed Atheniensium usum etiam forensem in legibus illustrat[3]). Neque enim ut philosophus leges suas excogitavit ille ab omni terrena robigine liberas ex sola aeterni iuris contemplatione deductas, sed tam presse in hac ipsa legum parte Atheniensium secutus est instituta, ut vetustas eorum leges sanctisque religionibus plenas exhibeat fere integras tantumnon ipsis iudiciorum nominibus indicatis[4]). Quod igitur ille cruentam caedem, est enim cruenta quae *χειρὶ* efficitur, a reliquis distinguit[5]), gratum mihi est testimonium,

---

[1]) Captavit hac ipsa re facetias Platenus noster in comoedia »der gläserne Pantoffel« Act. I ubi Carmosines homo non magni ingenii filias suas a rege ad festum diem celebrandum in aulam deducere iussus, comitate regis munerisque sui gravitate captus atque attonitus verba ad filias facit haec. ‚Doch weiss man noch nicht aus den Zeitungen, | dass euch der König, mein Gebieter, selbst | mit Worten eigenhändig eingeladen'. — Ne vero cogites ad chartas scriptas quibus nos citari solemus ad festum; viva voce rex mandatum dedit non epistulam. —

[2]) Uberrime disseruerunt de hoc verbo Morus et Spohnius, ad Isocr. Paneg. (p. 87 ed. Spohn) in eo tantum corrigendi, quod »sua manu« verterunt id quod vertitur recte: ipsa manu.

[3]) Hermann, De vestigiis institutorum veterum imprimis Atticorum per Platonis d. leg. libros indagandis (praecipuc cap. V).

[4]) Spectat ad Prytaneum IX 873 e (ad Phreatto IX 866 c, d) ad Delphinium: 865 b *κατὰ τὸν ἐκ Δελφῶν κομισθέντα νόμον.*

[5]) Liceat mihi monere quod eandem partitionem invenies apud Philonem Iud. II 314 M: *ἐάν τις ἐπανατείνηται ξίφος ὥστ' ἀποκτεῖναι καὶ ἂν μὴ ἀνέλῃ, ἔνοχος ἔσται, προαιρέσει γεγονὰς ἀνδροφόνος, εἰ καὶ μὴ τὸ τέλος τῇ γνώμῃ συνέδραμε. Τὰ δὲ αὐτὰ πασχέτω, καὶ ἂν σὺν τέχνῃ τις ἐξ ἐνέδρας οὐ θαῤῥῶν ἄντικρυς ἐπιχειρεῖν βουλεύηται καὶ μηχανᾶται δολερῶς τὸν φόνον· ἐναγὴς γὰρ καὶ οὗτος, εἰ καὶ μήπω ταῖς χερσὶν ἀλλά τοι τῇ ψυχῇ καθέστηκεν.* Apud eum quoque *χειρὶ* — *βουλεύειν* antithesis vim habet hanc: manifesta caedes — non cruenta, insidiosa. Attici usus forensis non prorsus videtur Philo rudis fuisse; terminum enim

idem accidisse in forensi Atheniensium usu; utrum vero ipse quis an per alium quendam mortem effecerit, id neque a Platone curatur neque in legibus Atheniensium unquam.

Quem locum in iudiciis habeat ea quam descripsi *βούλευσις* longiorem sibi postulat disputationem. Nobis certe qui solum factum curamus unoque complectimur nomine (Mord) omnes et cruentas caedes et non cruentas, nobis videatur mirum, quod non cruentas distinxerunt Athenienses, quod distinctas propria lege iusserunt diiudicandas secundum leges quae statutae erant in cruentam caedem.

Infra de hac re dicemus; nunc e re videtur exemplis illustrare illud scelus. Unum autem usque animadvertatur velim hoc: e vulgata opinione antithesis *χειρὶ* — *βουλεύσας* intellegabatur : ipse — per alterum; e mea autem sententia non distinguuntur eis verbis nisi duae diversae rationes necandi, afferamque nunc exempla sat multa, in quibus *βουλεύσας* egisse auctor caedis nemini negabitur, attamen nunquam idem alterius auxilio opus habebit.

Plato. Politic. 298 b Gubernatorum describuntur malorum mala artificia, quibus insidiose et nefarie obruere homines conantur quos vehunt: *οἵ τ' αὖ κυβερνῆται μύρια ἕτερα τοιαῦτα ἐργάζονται καταλείποντές τε ἔκ τινος ἐπιβουλῆς ἐν ταῖς ἀναγωγαῖς ἐρήμοις· καὶ σφάλματα ποιοῦντες ἐν τοῖς πελάγεσιν ἐκβάλλουσιν εἰς τὴν θάλατταν.* Quaero nunc, si gubernator in deserta insula reliquerat hominem aut bestiis praedam aut fami, num *χειρὶ* eum interfecerit? — minime! — ergone per alterum?! ne hoc quidem; cruenta caede quidem eum non sustulit, sed consilio doloso »*βουλεύσας*« ei mortis fuit auctor. Neque si effecerat ut lapsus quis in mare decideret undisque submergeretur, aut *χειρὶ* interfecerat aut advocavit alterum; manum enim omnino non levavit neque alterius ope usus est sed insidioso consilio.

Aliam machinationem describit Philo Iud. II 324 M. *Ὀρύγματα γῆς εἰώθασί τινες εὖ μάλα βαθύνειν . . . εἶθ' ὑπονόμους*

---

technicum e forensi dictione exhibet idem Philo II 313 M: *οὐχὶ τὸ »χειρῶν ἄρχειν ἀδίκων« ἐστὶ πρότερον, τὸ δὲ ἀμύνασθαι ὕστερον;*

εὐρύναντες ἀφανεῖς, δέον τὰ στόμια ἢ περιοικοδομῆσαι ἢ περιπωμάσαι, κατά τινα δεινὴν ῥᾳθυμίαν ἢ φρενοβλάβειαν ἐπ' ὀλέθρῳ τινῶν εἴασαν ἀχανῆ. Qui ita mortem alteri paravit manum quidem interimendo non admovit neque iniciendum eum curavit per alterum; unus tantum mortis est auctor, quanquam *βουλεύσας* interfecit.

Βουλεύειν illustratur quoque eis exemplis quibus Gaius demonstrat »damnum non corpore datum«. Inst. IV 3, 16 »*si quis alienum hominem (aut pecus) ita incluserit ut fame necaretur .... aut si quis alieno servo persuaserit ut in arborem ascenderet vel in puteum descenderet et is ascendendo aut descendendo ceciderit et aut mortuus fuerit aut aliqua parte corporis laesus erit*«.

Adiungas exemplum ex historia deductum: Pausaniam cum in Minervae templum fugisset *χειρὶ* quidem nefas erat occidi, nimirum ne divae fanum inquinaretur. Quid autem sanguinem proditoris veriti Lacedaemonii fecerunt? porta templi obstructa fame perire eum cogebant (*ἐξεπολιόρκησαν τῷ λιμῷ* Thuc. I 134), tum demum eum liberantes, cum iam in ipso esset discrimine mortis. Vides igitur alias multas rationes apertas esse ei qui manibus et vi abstinere voluit. Quas omnes complectitur verbum *βουλεύσας* interficio; quod quidem Plato optime definit leg. IX 872 a: *τῇ βουλήσει τε καὶ ἐπιβουλεύσει ἀποκτείνας αἴτιος ὢν καὶ μὴ καθαρὸς τὴν ψυχὴν τοῦ φόνου* — (quanquam *χεῖρας* quidem *καθαρός*, quas sanguine non inquinavit). —

Haec postquam exposuimus unum mihi est monendum, quod praeter opinionem accidat fortasse uni alterive: ubi duae sibi opponuntur rationes *χειρί* — *βουλεύσας*, in hoc de dolo malo nihil inest; non plus inest quam in priore illo *χειρί*; solum agitur de rationibus manifesta — nec manifesta. Fieri autem potest ut occidat quis alterum »*καθαρὸς τὰς χεῖρας*« (*βουλεύσας*) neque tamen consilium interficiendi habuerit. Velut Euthyphronis pater (Plato Euthyphr. 4) hominem qui servum eius occiderat, cruribus manibusque ligatis in fossam iniecerat; moritur ille neglectus »*ὑπὸ λιμοῦ καὶ ῥίγους καὶ τῶν δεσμῶν*«. Ergo *χειρὶ* eum non occidit[1]), *βουλεύσας* ei mortis fuit auctor; neque tamen consilium tale habuit, cum

---

[1]) Euth. 4: *ταῦτα δὴ οὖν καὶ ἀγανακτῇ ὅ τε πατὴρ καὶ οἱ ἄλλοι οἰκεῖοι, ὅτι ἐγὼ ὑπὲρ τοῦ ἀνδροφόνου τῷ πατρὶ φόνου ἐπεξέρχομαι, οὔτ' ἀποκτείναντι, ὥς φασιν ἐκεῖνοι.*

Athenas misisset nuntium quaesiturum ab exegetis, quid illi homini faciendum esset[1]). Quod ante nuntii reditum ille mortuus erat, videlicet non e patris voluntate accidit, cum esset illum accusaturus. Fac medicum aegroto quem curat chloroformium, quod vocamus, dedisse; interit ille pro nimia quae inflata ei est veneni quantitate. Ita medicus *χειρὶ* occidisse eum dici non potest, sed *βουλεύσας*. Tamen cum aegrotum sanare studuerit, non interimere, prudenter caedem commisisse unicuique negabitur. Coniuncta igitur vides quae adversis frontibus secum videbantur pugnare. Ubi *χειρὶ ἀποκτ.* opponitur, omnis doli mali notio deest verbo *βουλεύειν*, quae propria est eiusdem in antithesi *ἀκουσίως* — *βουλεύσας*, *ἑκουσίως*. Atque haec quidem accurate semper secernenda. Incitationem quidem *ἄνευ προνοίας* prorsus ut par est reiecimus; nemo autem ut opinor dubitabit, quin imprudenter quis possit alterum interficere ratione non manifesta. (Reveniemus ad hanc rem cum dicamus de Antiph. or. VI *π. τ. χορ.* p. 34.)

Poscimur ea nunc quaestione, quam supra (p. 21) soluturos nos esse sumus polliciti; atque hactenus quidem philologi nunc historicam quaestionis partem ingredimur. Statutum esse vidimus lege Andocidea : ut, si quis, machinatus mortem aliqua ratione, hominem interfecerit in eodem teneatur ac si cruentam caedem commisisset. Est mihi nunc demonstrandum, hanc legem non solum non supervacaneam fuisse sed omnino necessariam.

Athenienses rem iudiciariam non ex systematica instituerunt ratione sed ex empirica : prout innotuerunt diversa crimina nova statuta sunt nomina novae actiones. — Aeschin. I 13: *ἐκ γὰρ τοῦ πράττεσθαί τινα ὧν οὐ προσῆκεν, ἐκ τούτου τοὺς νόμους ἔθηκαν οἱ παλαιοί.* Antiphon. V 14: *ὑπάρχει μέν γε αὐτοῖς (τ. φονικοῖς νόμοις) ἀρχαιοτάτοις εἶναι ἐν τῇ γῇ ταύτῃ, ἔπειτα τοὺς αὐτοὺς ἀεὶ περὶ τῶν αὐτῶν, ὅπερ μέγιστόν ἐστι σημεῖον νόμων καλῶς κειμένων.*

---

[1]) Euth. 10. Socrates quaerit ex Euth.: *τί σοι τεκμήριόν ἐστιν ὡς πάντες οἱ θεοὶ ἡγοῦνται ἐκεῖνον ἀδίκως τεθνάναι, ὃς ἂν . . . φθάσῃ τελευτήσας διά τε τὰ δεσμά, πρὶν τὸν ξυνδήσαντα παρὰ τῶν ἐξηγητῶν περὶ αὐτοῦ πυθέσθαι, τί χρὴ ποιεῖν.*

ὁ γὰρ χρόνος καὶ ἡ ἐμπειρία τὰ μὴ καλῶς ἔχοντα ἐκδιδάσκαι τοὺς ἀνθρώπους.

Nunc age criminum perlustremus seriem. Principem facile obtinet locum cruenta caedes (*φόνος*); est ea simplicissima antiquisque temporibus imprimis accommodata. Statim, ut praesens ira iubet, offensus aggreditur alterum insidiis spretis omnibus aut nudis manibus usus aut armatis, itaque inferiori sanguinem et vitam simul eripit. In hoc crimen *φόνου* instituta est actio; quae vox ad amussim respondet latino »caedes« (a caedendo) = cruenta mors. Qui *φόνον* committere conatus, ad finem non pervenerat, reus fit sub nomine »*τραῦμα ἐκ προνοίας*« (Dem. 23, 24) quod solum iam commonstrat per vulnera »*φόνον*« effici[1]).

Efficax nimirum haec est manifesta caedes, celeriter atque funditus e vita tollit inimicum; quanquam periculosa eadem est neque ignaviae apta. Cui igitur et audacia deerat neque vires sufficiebant, ei alia curae erat interficiendi ratio: incendio facto flammis perdere conatur alterum; *φόνου* quidem ille non poterat reus fieri, namque cruentam non commiserat caedem : nova igitur in eum actio statuta est »*πυρκαϊᾶς*« (Dem. 23, 24); hoc enim utique actio ea spectare debet crimen, contra vitam hominis non rem familiarem directum. Nisi enim ipsi vitae alicuius insidias quis struxerit non video quomodo locum obtinere potuerit *πυρκαϊά* in

---

[1]) Il. 24, 610. Aeschyl. Choeph. 1009. Ag. 1263. Spt. 44. Soph. O. R. 1278. Eur. Hec. 241. Iph. A. 971. *Φόνος* derivatum est a radice *φεν.* cui respondet sanscrita radix *ghan, han* (pulsare — terram ungulis, fulmine; puls. tympana; occidere trucidare aliquem armis, ferire telo; — Grassmannus (in lexico ad Rigvedae hymnos) de veneficio idem inveniri per errorem contendit, quod Georgius Mekler commilito mihi affirmavit (debeo enim illi hanc scientiam); in eo, quo Grassm. nititur loco veneni nulla fit mentio. — E nominibus huc pertinet *ghanás* : qui conterit, percutit; clava. Notionem »necandi«, quae vocis *φόνος* propria est, exire a notione »pulsandi« ad oculos quasi proponitur verbo *θείνω*, quod utrumque aeque significat et pulsare et necare (prius: Il. 17, 430; 20, 481. plectere Aristoph. Av. 54. necare Od. 22, 443. Aesch. Pers. 301). Eidem autem radici verbum hoc tribuendnm est atque *φόνος*. Discrimen formale (*θείνω* — *φόνος*) invenies idem: *τείω* — *ποινή* (quae arctissime cohaerere inter se nemo nescit) *δήλομαι* dor. *δείλομαι* locr. — *βούλομαι, βάλε δή* (Alcman); *δέλλω* arcad. — *ἔβαλον*; *θέσσασθαι* — *πόθος*.

lege Areopagitica, nam ibi caedes tantum enumerantur diversis modis paratae[1].

Venena sequuntur incendium; ex ordine res progreditur, excultis iam artibus herbarum viribus et bonis et tristibus cognitis novae se aperuere scelesto ingenio viae: neque armis iam opus erat neque flammis undique conspicuis: taciturna vis veneni clandestinum corpori iniecit incendium, e quo aut statim interiret aut post diuturnum demum morbum. — Sic crimina se exceperunt: arma cessere artibus, audacia ignaviae atque insidiis; subsecuta autem est statim vindex iustitia, cuius vestigia non delituerunt sed aperte nobis servata sunt in lege illa Areopagitica quam plenam habes hanc (Dem. 23, 24): *τὴν βουλὴν δικάζειν*:

1 *φόνου ἑκουσίου καὶ τραύματος ἐκ προνοίας*
καὶ 2 *πυρκαϊᾶς*
καὶ 3 *φαρμάκων ἐάν τις ἀποκτείνῃ δούς.*

Vides igitur re vera non sub uno nomine comprehensas esse Atheniensibus diversas caedium rationes sed suam obtinuisse propriam actionem unumquodque genus, sive manu peractum erat sive flammis sive veneno.

Quanquam quo tendit ea via? num unquam ad finem ea perducere potuit? sunt sane frequentissima tria illa caedis genera, quae lege Areopagitica continentur; at quanta superest caedium varietas atque multitudo, quae non in ea commemorantur. Fac, in turri aliquem esse inclusum ut fame sitique periret: neque *φόνου*, neque *πυρκαϊᾶς*, neque *φαρμάκων* actio institui potest; quo sub nomine reus erat inducendus? Fac effecisse aliquem ut in mare quis decideret atque periret in undis; non trucidavit ille, neque flammis neque veneno paravit mortem; e lege nulla in eum actio institui poterat, quoniam tres tantum casus frequentissimos praeviderant Athenienses. Si autem ita ut inceperant rem ad finem voluissent perducere, e novo quoque interficiendi modo nova erat instituenda

---

[1]) Quodlibet incendium Areopago competisse Heffteri est sententia (Athen. Gerichtsverfassung 180). Meier-Schoemann, Att. Proc. 314/5. Philippi, Areop. 161: Contra censent, Areopagitas iudicasse ita demum si vitae hominis insidiae structae essent: Gilbert, Gr. St.-A. I 362 nota 1. Busolt, Griech. Gesch. I 415. Thalheim in K. Fr. Herm. Griech. Antiq. p. 42 nota 2.

actio, velut *ἀποθαλάττωσις* vel *λιμοκτονία* vel simile aliquid ad infinitum. Vides autem facile criminum seriem longius ita atque latius creturam fuisse, quam quae in uno quamvis ingenti saxo describeretur, vel ab uno homine posset mente teneri; ac ne ita quidem unquam eis contigisset, ut numerum innumerabilem complecterentur omnium caedis rationum.

Ergo aliter rem iudiciariam moderaturi, cum sic ut primitus eam instituissent viderent rem non posse perfici, unam Athenienses statuerunt legem, quae caedes complecteretur omnes a manifesta diversas: Qui *βουλεύσας* interficit, tenendus est in eodem, ac si (*χειρὶ*) *φόνον* commisisset[1]). Sic *φόνῳ ἔνοχος* habetur, qui aut undis aut fame aut gelu aut calore denique qui quaviscunque ratione *φόνου αἴτιος* habendus est[2]). Etiam is qui incitavit alterum ex hac lege *φόνου* poterat reus fieri[3]), unus enim casus ille est e multis, qui cadunt sub eam legem. Si qua de eo agebatur crimine, non

---

[1]) Si premimus rem, comprehenduntur ea lege etiam venena et incendia, sunt enim non »*χειρί*« peracta. — Quanquam ea quidem locum iam habebant in l. Areopagitica antiquitus.

[2]) »*φόνου αἴτιος*« a nonnullis de incitando intellegitur. Quae notio neque natura inest ei verbo neque ex usu ei supponitur. Caedes potius indicatur, non violenter neque actione manifesta commissa, velut Lys. XIII 57: *καίτοι εἰ ἐκεῖνος* (Menestratos) *ἀπέθανεν, ἦ που Ἀγόρατός γε δικαίως ἀποθανεῖται, ὅς γε τόν τε Μενέστρατον ἀπογράψας αἴτιος ἐκείνῳ ἐστὶ τοῦ θανάτου*, denuntiavit reus, mortis ita fuit auctor; incitavit neminem. Dem. 23, 38: *ἐάν τις ἀποκτείνῃ τὸν ἀνδροφόνον ἢ αἴτιος ᾖ φόνου . . . ὥσπερ τὸν Ἀθηναῖον ἀποκτείναντα ἐν τοῖς αὐτοῖς ἐνέχεσθαι.* Ne hoc quidem recte de incitatione intellegas; atque sequitur interpretatio verbi haec (§ 43) *ἔσῃ δ' αἴτιος τὴν διὰ τοῦ ψηφίσματος ἐξουσίαν δεδωκώς.*

3) Expressis verbis lex And. I 97 incitantem videtur proferre: *ὁ δὲ ἀποκτείνας τὸν ταῦτα ποιήσαντα καὶ ὁ συμβουλεύσας ὅσιος ἔστω καὶ εὐαγής.* Nihil hoc, etiamsi ita se haberet, contra meam rem faceret. Fieri enim potest ut lege etiam ad eum casum respiciatur, attamen actio fuisse propria in crimine incitationis nondum evincitur. Quanquam adhuc dubito num recte legis verba intellegantur *ὁ συμβουλεύσας* »qui persuasit percussori ut occideret«. Si enim ita ad eiusdem facti duos respicitur auctores non video quomodo non poscatur dualis *ὁ ἀποκτ. καὶ ὁ συμβ. ὁσίω ἔστων*! Equidem explicaverim igitur locum ita: liber a poena erit, si quis occiderit, et — si quis aut suaserit in contione, aut ad iudicium deduxerit accusaturus, aut, iudex, poenam capitis statuendam commendaverit; respondere igitur mihi videntur actiones *ἀποκτείνειν* — *συμβουλεύειν* iureiurando in eodem plebiscito I 97: *κτενῶ καὶ λόγῳ — καὶ ἔργῳ | καὶ ψήφῳ — καὶ τῇ ἐμαυτοῦ χειρί.*

dubito, quin ita responderint iuris exegetae: Is qui caedem effecit statim e lege Areopagitica accusandus est; alter ille, e cuius consilio atque mandatu morte affectus est occisus, non minus *φόνου* reus est, quia *βουλεύσας* interfecit, quam si *χειρὶ* rem peregisset. Necessaria autem utique erat talis lex, quae cunctam complecteretur caedium varietatem — nisi forte alia ratione maluerunt Athenienses expediri ex angustiis quibus inciderant; namque una quidem praeterea eis via patebat: potuerunt ex usu magis quam e lege ad *φόνου* leges simpliciter reicere eas etiam caedes quae cum *φόνῳ* non maiore necessitudine coniunctae sunt quam arma cum veneno. Quanquam tale aliquid Atheniensibus non placebat; veram enim »*φόνου*« vim nulla oblivio eis eripuit; neque ex usu ad quamlibet caedem actionem eam deflecti passi sunt, quippe qui *ἀγράφῳ νόμῳ οὐδενί* uterentur. E lege atque e iure reliquas omnes referri iusserunt caedes ad eas quae de cruenta caede statutae essent leges.

Cruenta caedes, quippe quae vetustissima sit ex omnibus civiumque vitae et securitati infestissima primum in iudiciis obtinuit locum, primas nacta est leges. Ex hisce reliquae pendent.

Duo secundum sanae mentis rationem Athenis statuta sunt *φόνου* genera alterum, et gravius illud quidem, »*φόνος ἑκούσιος*« (*ἐκ προνοίας*), cum dolo malo atque interficiendi consilio peractum; levius, ut par est, crimen habetur *φόνος ἀκούσιος*, qui casu non e voluntate accidit. Prius illud voluntarium facinus Areopagitarum sanctissimo collegio convenit; reus cum esset convictus summo afficiebatur supplicio[1]). De altero genere, cui deerat dolus, Ephetae iudicabant apud Palladium; lenior in eo poena erat statuta exilii neque ea sempiterni. Aptis ita atque iustissimis cruentae caedes praemunitae erant legibus; ad easdem nunc referuntur eae actiones cum quavis ratione alia mortem quis alteri struxerit. Nemo, ut opinor, talem imputabit Atheniensibus imbecillitatem atque inconstantiam, ut e summo principio, quod et mente sana et iustitia postulatur (dolum esse spectandum in maleficiis) vel hilum decesserint

---

[1]) Dem. 21, 43: *οἱ φονικοὶ τοὺς μὲν ἐκ προνοίας ἀποκτιννύντας θανάτῳ καὶ ἀειφυγίᾳ καὶ δημεύσει τῶν ὑπαρχόντων ζημιοῦσιν . . . τοὺς δ' ἀκουσίως αἰδέσεως καὶ φιλανθρωπίας πολλῆς ἠξίωσαν.* cfr. Meier Schoemann Lipsius. Att. Process. (308) p. 377.

ideo, quia clandestina fortasse atque insidiosa ratione magis res peracta erat quam vi manifesta et cruenta! Quasi levius esset crimen, inclusum aliquem fame necari longinquis et inhumanis doloribus oppressum[1]). Nihil ad summam rem facit modus interficiendi, non minus quis scelestus videtur sive trucidavit alterum uno ictu, sive mortem ei paravit dolosam nec repentinam aut accusatione falsa aut falso testimonio aut quavis ratione alia. Nihil etiam interesse iubet Plato nisi minutias quasdam: leg. IX 872 a: *ἐὰν δὲ αὐτόχειρ μὲν μή, βουλεύσῃ δὲ θάνατόν τις ἄλλος ἑτέρῳ καὶ τῇ βουλήσει τε καὶ ἐπιβουλεύσει ἀποκτείνας αἴτιος ὢν καὶ μὴ καθαρὸς τὴν ψυχὴν τοῦ φόνου ἐν πόλει ἐνοικῇ, γιγνέσθων καὶ τούτῳ κατὰ ταὐτὰ αἱ κρίσεις τούτων πέρι πλὴν τῆς ἐγγύης.* cfr. Lucian. tyrannicida. Bip. t. IV 318: *αἰτίας θανάτου εἶναι διττάς: εἴ τις αὐτὸς ἀπέκτεινε ἢ εἴ τις μὴ αὐτὸς μὲν ἀπέκτεινε μηδὲ τῇ χειρὶ ἔδρασε τὸ ἔργον, ἠνάγκασε δὲ καὶ παρέσχεν ἀφορμὴν τοῦ φόνου. τὰ ἴσα καὶ τοῦτον ἀξιοῖ ὁ νόμος ἀντικολάζεσθαι.* Integrae »*φόνου*« leges in eum quoque valent qui *βουλεύσας* interfecit et apud Athenienses et apud nos et apud quamvis aliam gentem cui iustitia cordi est atque aequitas.

Ergo qui ratione non manifesta interfecit (*καθαρὸς τὰς χεῖρας*) modo consilium habuerit interficiendi, praeter omnem dubitationem ad Areopagitas deducendus est. Bene cedunt res ex hac sententia: duas habemus tales actiones ad Areopagum re vera illatas: Dem. 54, 25 narratur pater sacerdotis Brauronicae reus factus esse, cum mandato alteri dato tertium quendam interficiendum curavisset; auctor caedis habendus est *βουλεύσας*; quoniam non imprudenter, sed cum consilio videlicet incitavit alterum, apud Areopagitas accusandus erat; quod re vera factum esse luculentis verbis dicit Demosthenes: *τὸν . . . τῆς Βραυρώνοθεν ἱερείας πατέρα . . . ἐξέβαλεν ἡ βουλὴ ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου.*

Philippi quidem cui molestum est hoc testimonium, quoniam *βούλευσιν* omnem Palladio tribuit — Philippi nos docet virum illum ex Areopagitarum collegio esse eiectum[2]); non intellegenda esse

---

[1]) Od. *μ*. 342: *πάντες μὲν στυγεροὶ θάνατοι δειλοῖσι βροτοῖσιν | λιμῷ δ' οἴκτιστον θανέειν καὶ πότμον ἐπισπεῖν.* Thuc. III 59: *εἱλόμεθα γὰρ ἂν πρό γε τούτου τῷ αἰσχίστῳ ὀλέθρῳ λιμῷ τελευτῆσαι.*

[2]) Areop. u. Eph. 47. *ἐκβάλλειν* de iudicibus poenam exilii statuentibus

verba »*ἐξέβαλεν ἡ βουλὴ ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου*«, »exilii damnatus est in Areopago«. At primum quidem, quae haec est in homicidio poena »de collegio moveri«? deinde, unde compertum habet Philippi, Areopagitam sacerdotis patrem fuisse, ut pro poena e collegio moveri potuerit? Tertio, quid exemplo hoc effecturus erat actor? num Cononem etiam, quem persequitur accusatione, ex Areopagitis eiiciendum curat? quasi Conon esset Areopagita! Quanquam hoc quantum laboret, Philippium non fugit ipsum; docemur igitur ab eo, actorem decipere voluisse audientes; cum enim dicturus esset: »ex Areopagitarum collegio eiectus est« talia elegit verba, quae ita potius intellegerentur: »ab Areopagitis exilii damnatus est«; itaque actorem captatione usum esse dialectica. Quanquam vereor ne nos quidem actorem simplici mente vera protulisse censeamus, captatione dialectica ipsi Philippio relicta. Neque enim equidem video, quomodo apud Areopagum non potuerit reus fieri, qui consulto ad caedem alterum incitaverit.

Neque minus luculentum alterum est testimonium Lys. 10, 31: Actor enarrat patris mortem vindicaturum reos se fecisse triginta viros. *βουλεύσαντες* nimirum non *χειρί* caedem effecerant[1]); neque ut opinor involuntarie sed consulto : ergo actio in Areopagum erat deferenda; quod re vera se fecisse dicit actor: *ἐπεξῆλθον τοῖς τριάκοντα ἐν Ἀρείῳ πάγῳ*! Quid contra haec Philippi? ne conatus quidem hoc refutare tergiversatur; suspicatur intulisse quidem actorem actionem in Areopago — non vero acceptam esse eam causam a iudicibus (p. 50 nota): »er kann wegen Nichtzuständigkeit des Areopag abgewiesen sein, was später zu melden natürlich nicht in seinem Interesse lag«! — Hoc commentum nescio an nemini placeat; facilius erat suspicari hunc quoque oratorem captatione aliqua usum, alia atque dixerit, re vera dixisse!

Venimus ad eam nunc orationem, qua potissimum adductus est Philippi ut omnes *βουλεύσεως* actiones Palladio soli tribueret, ad Antiphontis orationem I.

Din. 1, 6: *ἐκβαλεῖν* (Areopagitas) *ἢ θανάτῳ ζημιῶσαι* ibid. § 28 . . . *δι' ἣν* (sc. *τ. εἰρήνην*) . . . *ὑμεῖς ἐκεῖνον ἐξεβάλετε* (cfr. § 29); de accusatore Din. I 63, alibi; cfr. Philippi Ar. u. Eph. p. 48 adn. 70, 71. Idem est usus verbi *ἀποκτείνειν* et de iudice et de accusatore. —

[1]) Frohberger, Lysias ed. 1 p. 21 nota 60.

Nemo dubitat quin consulto noverca viris mortem paraverit: (§ 3) *ἐξ ἐπιβουλῆς καὶ προβουλῆς*, (§ 5) *ἑκουσίως ἐκ προνοίας*; dolus malus in aperto est; ergo, ut verum dicam, non possum ulla cogitatione consequi, qua de ratione negare quis possit Areopago eam actionem convenisse. Miror imprimis Philippium, qui de Antiph. or. VI verba faciens discrimen e dolo malo sumendum esse ipse dicit (Ar. u. Eph. 34): »der *βούλευσις* fehlte also die *πρόνοια* und das allein sollte auf die Annahme hinführen, dass nur an das Palladium — nicht an den Areopag als Gerichtshof zu denken sei.« — Probatur mihi hoc principium; vice versa autem ego dico »in Antiph. I crimen cum malo dolo coniunctum esse nemo negat, quod solum iam sufficit ad demonstrandum cogitari non posse nisi de Areopago.«

Praeterea Areopagitas fuisse iudices, ex ipsa oratione testimonium demonstrat luculentissimum: actor enim ad paelicis a carnifice iam necatae mortem[1]) respiciens, ut eandem novercae etiam poenam infligant iudices perorat § 20: *ἀνθ' ὧν ἡ μὲν διακονήσασα ἔχει τὰ ἐπίχειρα ὧν ἀξία ἦν οὐδὲν αἰτία οὖσα — τῷ γὰρ δημοκοίνῳ τροχισθεῖσα παρεδόθη — ἡ δ' αἰτία τε ἤδη καὶ ἐνθυμηθεῖσα [καὶ χειρουργήσασα] ἕξει ἐὰν ὑμεῖς τε καὶ οἱ θεοὶ θέλωσιν.* cfr. eiusd. or. § 27: *καὶ ὥσπερ ἐκεῖνον* (maritum) *αὐτὴ οὔτε θεοὺς οὔτε ἥρωας οὔτ' ἀνθρώπους δείσασα ἀπώλεσεν, οὕτω καὶ αὐτὴ ὑφ' ὑμῶν καὶ τοῦ δικαίου ἀπολομένη καὶ μὴ τυχοῦσα μήτ' αἰδοῦς μήτ' ἐλέου μήτ' αἰσχύνης μηδεμιᾶς παρ' ὑμῶν τῆς δικαιοτάτης ἂν τύχοι τιμωρίας.*

Quid hisce postulat actor nisi mortem novercae poenam esse statuendam? Poena capitis autem Areopago convenit non reliquis minoris ordinis iudiciis, Palladio vel Delphinio, quibus leviora

---

[1]) E iure neque accusari paelex potuit *ἑκουσίου φ.* neque summo affici supplicio; nefastum novercae consilium omnino non perspexerat, philtron non venenum mortiferum dedisse se rata. — Mulierem quae philtro dato imprudenter maritum interfecerat liberatam esse ab Areopagitis [Aristoteles] narrat (Magn. Mor. I 16/17). E iure igitur non potuit mortis condemnari neque condemnata est mortis, ne in ius quidem omnino vocata. Statim ex ipso facto carnifici tradita est, quippe quae civis non esset Atheniensis sed serva (aliter enim Philoneus non poterat eam *ἐπὶ πορνεῖον καταστῆσαι*).

crimina competunt[1]). Namque ea inter omnia iudicia intercedit ratio, ut priorem quod obtinet locum maiorem habeat puniendi potestatem; ergo in Areopago, cuius auctoritas facile summa erit, poena capitis infligebatur reo, levior in Palladio exilii. Quae cum ita sint non potest dubitari quin apud Areopagitas Antiphontis or. I habita sit.

Contra Philippi invitum quam maxime coactum se esse fatetur[2]) ut Palladio tribueret omnia crimina *βουλεύσεως*, quamvis cum dolo malo essent commissa: hanc ipsam enim orationem (Ant. I) nullo modo Areopago posse tribui. Magnum id est sine dubio; ita enim primum quidem videremus sine ulla sana causa recessisse Athenienses a ratione iustissima ea — e voluntate crimina distribuendi, — deinde videremus re vera Ephetas capitis reum potuisse condemnare! — Qualia autem sint tandem eius argumenta iam videbimus.

Atque primum quidem unum ex ipsa profert oratione; respicit ad iudicum allocutionem, inde enim facile et certissime posse dignosci, utri iudicio quaelibet oratio conveniat. Secutus enim Maur. Herm. Ed. Meierum[3]) docet nos, e consensu omnium quae in Areopago habitae sint orationum pro certo demonstrari »Areopagitas non potuisse appellari nisi »ὦ βουλή«; cum autem oratio Ant. I hanc formulam non exhibeat, non posse eam Areopago tribui. Sane, non appellantur iudices ὦ βουλή, tamen dubito, num Palladio convenire eam orationem Philippio concedam; namque aliquantulum, ut opinor, ea quoque valent argumenta quae equidem exposui neque uno pulsantur verbulo.

Iam vero, ne temere illud allocutionis testimonium praeteriisse videamur, inquiramus age, quot sint »omnes« illae orationes Areopagiticae, quibusque auctoribus conscriptae? tres tantum feruntur[4]); trium earum omnium unus est auctor Lysias. Iam labitur hoc

---

[1]) Schoemann, Antiq. iur. publ. Graeci p. 294 »condemnatis summum supplicium imponi non potuisse videtur« (in Pall. vel. Delph.).

[2]) Ar. u. Eph. p. 50.

[3]) Meier, De bonis damnat. adnot. 51 p. 21. Forchhammer, d. Areop. non priv. p. 36. Mätzner 282. Philippi, Ar. u. Eph. p. 41 cfr. p. 33.

[4]) Lys. or. III habita post a. 393, or. IV, or. VII post a. 397.

argumentum; constringar, si Antiphon ipse hunc secutus esse usum demonstrabitur; si Andocidis fortasse vel alius cuiusvis praeter Lysiae afferatur testimonium. Ita vero Lysias quidem licet Areopagitas appellaverit ὦ βουλή — quid hoc ad Antiphontem? Corruit propositio, corruit tota ea conclusio. Nobis hoc videtur efficiendum: Antiphontis oratio I in Areopago habita est. Appellantur autem in ea iudices: ὦ ἄνδρες. Ergo non antiquitus appellatio ὦ βουλή quam Lysias exhibet, in usu erat; pace Areopagitarum Antiphon allocutus eos est »ὦ ἄνδρες«[1])!

Iam vero nondum res confecta est; secundum enim Philippi[2]) producit argumentum, quod Forchhammero debetur; ille enim enucleavit artificiosa legis Areopagiticae interpretatione: novercam omnino non potuisse in Areopago accusari; contra facere luculenta legis verba: δικάζειν τὴν βουλὴν . . . φαρμάκων ἐάν τις ἀποκτείνῃ δούς. — »δούς« velim animadvertas verbulum, solet enim praetervideri; hoc ansam dedit dubitationi, ea enim de causa additum esse eis videtur »*ut ne omne veneficium Areopagitis tribueretur iudicandum — sed id tantum . . . quod quis sua manu venenum porrigens* (δούς) *perfecisset*[3])«.

Venia mihi sit cum ad absurdum hanc deducam legis interpretationem; ad absurdum enim declinat, neque multum inde videtur abesse. Iam fingas tibi casum : molitur quis alteri mortem, venenum comparat, immiscet vino — at neque ipse offert tristem potionem neque servi ministrant: ipse interimendus assumit poculum, haurit, moritur. Forchhammerum si audiamus, nescio an ipsum interfectum solum φαρμάκων accusari potuisse censeamus, veneficus ipse ex tali legis interpretatione certe non potuit reus fieri, quoniam venenum non dederat ipse. Falsam vim legi illatam esse in aperto est. Obsecro te, num is tantum venenum dedisse habendus est, qui manu altera os aperuit victimae, infudit venenum altera! Nonne φαρμάκων est reus, quicunque aliqua ratione per venenum alteri

---

[1]) Lipsius, Bursian J. b. XV 290. Att. Proc. nota 529: »trotz der Anrede ὦ ἄνδρες ist nicht zu bezweifeln, dass die Rede κατὰ τ. μητρυιᾶς vor den Areopag gehört«.

[2]) p. 41 not. 56.

[3]) Forchhammer, D. Areop. 30 n. 14. — Sequuntur Herrlich, Verbr. g. d. Leben p. 9. Thalheim in Herm. Gr. Aut. p. 42 nota 1.

mortem paravit, sive dedit ipse, sive per alterum dandam curavit, sive nemo dedit, cum ipse interimendus hauriret potionem e. g. veneno in puteum iniecto[1]). Num re vera quisquam sibi persuadebit in talibus minutiis tantum posuisse Athenienses ut, cum quis forte ipse non dedisset venenum, propterea ad Areopagum deduci eum non paterentur! *δούς* illud verbulum quod hunc produxit errorem prorsus alia de causa additum esse ex verborum tota constitutione facile demonstrabitur. Respicias vel uno oculo ad totam legem: »*τ. βουλ. δικάζειν φόνου ἑκουσίου κ. τραύματος ἐκ προνοίας κ. πυρκαϊᾶς κ. φαρμάκων*« requiri vides statim necessario in serie criminum genetivum *φαρμάκων*; additur ei enuntiatum condicionale: *ἐάν τις ἀποκτείνῃ δοὺς* scil. *φάρμακα*; nimirum aut bona esse possunt aut mala et *φάρμακα* et venena; agitur autem de noxiis tantum, quibus mors effecta sit[2]). Adempto autem illo participio quid acciderit legi, iam videas: *φαρμάκων* iubetur reus fieri »*ἐάν τις ἀποκτείνῃ*«. — Quid hoc est? num veneficii actio instituitur, si quis occiderit alterum? claudicat lex; deest id ipsum, in quo totius rei cardo versatur. Sic, ut intellegatur, in quam interficiendi rationem statuta sit *φαρμάκων* actio, omnino necessarium est participium *δούς*.

Quis porro ignorat, quantum amaverint Graeci participia hic vel illic addenda ad complendam sententiam atque planius exprimendam, ne unum scilicet deesset in descriptione actionis membrum vel parvulum atque minutum; de pleno depromam quae in promptu sunt frequentissima: *ἔχων ἄγων λαβών παρών ἐλθών ἰών* alia innumerabilia eiusdem notae; quae quidem omnia in nostro quidem sermone verbotenus si vertuntur, supervacanea saepe videantur atque inania — minus enim accurate nos et cogitamus et loquimur; Graecis non abundabant suoque iure posita sunt. Adeo simplex est puerisque decantatus hic participiorum usus, ut pluribus exposuisse eum paene me pudeat; hunc qui noverit non offendet in verbulo *δούς* neque ad perversam iuris interpretationem deflectere idem conabitur[3]).

---

[1]) Idem censent Meier Schoemann Lipsius Att. Proc. p. 382 nota 529.

[2]) Aut possit effici; namque si veneficus ad finem suum non pervenit, propter conatum reus fieri debet eodem modo atque *φονεύς*, qui vulneravit tantum, non necavit: *τραύματος ἐκ. πρ.* reus erat.

[3]) Recte ita Boeckhius iam legem intellexit. Ind. lect. Berol. 1826/27 p. 7 immerito propterea vituperatus a Forchhammero.

Si autem re vera voluissent Athenienses eos eximere e reliquis casus, ubi ipse quis venenum dedisset, tum ut opinor non obscure sed luculentis verbis dixissent: *ἐάν τις ἀποκτείνῃ δοὺς αὐτός*.

Ergo haec quidem non vincunt. Noverca in Areopago *φαρμάκων* accusata est; cui iudicio omnia competunt crimina contra vitam hominis, quae sunt cum malo dolo commissa. Atque haec quidem de voluntario *βουλεύσεως* genere et de Areopago.

Transeamus nunc ad alterum genus sine malo dolo commissum; quod quidem ex universa, quam novimus iam distinctione Palladio debet convenire.

Summa autem in hac re difficultas posita est in eo, num omnino cogitari quis possit *βουλεύσας* interfecisse sine voluntate (*ἀκουσίως*). Exercuit homines doctos de hac controversia dubitantes imprimis Antiphontis or. (VI) de choreuta; namque ibi idem homo ab iisdem et *βουλεύσας* (§ 16) dicitur interfecisse et *ἄνευ προνοίας* (§ 19). Dum *βουλεύειν* intellectum est = »incitare«, contradictionem ea verba proferunt apertam, id quod supra demonstravi (p. 3). Incitatio sine voluntate esse omnino nulla potest; neque igitur placent artificia quibus alii aliter conciliare ea inter se conati sunt[1]). Solam quae ferri potuit solvendae huius difficultatis viam indicavit Boeckhius (ind. Berol. $18^{26}/_{27}$). Suspicatur ille re vera primum quidem accusatores concessisse, casu mortem pueri accidisse; namque statim post mortem Diodoti pacati erant (§ 39); postea vero mutata sententia actionem instituisse eos, arguentes reum *βουλεύσαντα* Diodoti mortem effecisse[2]). Sic conciliari fortasse possunt quae dixerant adversarii § 16 et 19; atque sola haec erit ratio, nisi forte quis cum Wagenero ad id quod nunquam deficit ultimum refugit, ut totam orationem insulso tribuat falsario, cui nulla absurditas non possit imputari[3]). Haec quidem sententia nemini,

---

[1]) Velut: Schoemann, Berliner Jahrb. f. wissensch. Kritik. 1839 p. 494: »nicht allein Anstiftung einer tödlichen Handlung sondern Anstiftung einer solchen Handlung, die ohne geradezu tödlich zu sein und ohne selbst den Tod zu bezwecken — dennoch zufällig und durch Hinzutreten unvorhergesehener Zufälle den Tod zur Folge gehabt hat«. Quid ita, dicas, non est *βούλευσις*?

[2]) Maetznero (Antiph. 260) probatur Boeckhii sententia.

[3]) Wagener, Étude sur l'authenticité du discours d'Antiphon *π. τ. χορ.* p. 15: Je ne vois quant à moi aucun moyen rationnel de sortir de cette contradiction.

quantum video, aut probata est aut poterit probari; Boeckhii autem commento, quanquam per se spectatum non displicet, non opus est, postquam quae inesset vera vis verbo *βουλεύσας ἀποκτείνω* perspeximus. Cum enim ipso eo quem tractamus loco (§ 16): *ἐγὼ μὴ ἀποκτεῖναι μήτε χειρὶ ἀράμενος μήτε βουλεύσας* — duo sibi opponantur genera caedis, in utroque nihil inest de consilio, in hoc (*βουλεύσας*) non plus quam in illo (*χειρί*). Quis autem negaverit *ἄνευ προνοίας* auctorem aliquem fieri posse mortis ratione non manifesta (cfr. p. 22)?

Involuntarium igitur est crimen, cuius reus est Antiph. VI orationis actor[1]). Quae cum conveniant omnia Palladio, huic iudicio necessario orationem eam convenisse censebimus. Et prorsus ex hac opinione accidit, quod accusatores dicuntur reum *ζημιῶσαι καὶ ἐξελάσαι ἐκ τῆς γῆς ταύτης* (§ 7). Ephetae enim apud Palladium in criminibus involuntariis imponebant exilii poenam.

Firmari videtur idem Draconticae etiam legis auctoritate C. I. A. I 61[2]) inde a versu 11. *καὶ ἐὰμ(μ)ὴ 'κ(π)ρονο(ία)ς (κ)τ(είνῃ) τίς τινα φεύγειν δ)ικάζειν δὲ τοὺς βασιλέας αἰτ(ι)ῶ(ν) φό(νου) ἢ . . . . λεύσαντα τοὺς δὲ ἐφέτας διαγνῶναι.*

Verba in —*λευειν* exeuntia non sint ita multa, recteque censeo Sauppium (ind. Gott. 18⁷³/₇₄ p. 7) et Koehleri coniecturam[3]) refutasse, et ipsum restituisse verbum *βουλεύειν*; coniecturam quam profert totam[4]) nescio an posthabeam ei, quam Langius[5]) sibi quondam placuisse dicit . . *αἰτιῶν φόνον ἐνέχεσθαι δὲ τὸν φόνον βουλεύσαντα.* Prope ita legis verba conveniunt cum Andocideis »*τὸν βουλεύσαντα ἐν τῷ αὐτῷ ἐνέχεσθαι καὶ τὸν τῇ χειρὶ ἐργασάμενον*«. Aliter autem ac Langius (ad incitationem ille cogitat) ipse intellego verba

---

Quelque choquante qu'elle soit, il faut se résoudre à l'admettre. Mais dès lors ce n'est plus à Antiphon, c'est à un faussaire maladroit, qu'il convient de l'attribuer!

[1]) Ignatius ind. elocutionis Antiph. s. v. *βουλεύω*, levissimam *φόνου ἀκουσίου* speciem crimen eius probat habendum.

[2]) Koehlerus eam inscript. edidit Hermes II 27.

[3]) *ἢ βουλεύσεως τὸν ἀεὶ βασιλεύσαντα.*

[4]) *ἢ ἐάν τις αἰτιᾶται τὸν βουλεύσαντα.* Kirchhoffius primo quidem Koehleri accepit coniecturam (C. I. A. I 61), quam multis rationibus impugnatam cum ferri non posse videret, Sauppii coniectura lacunam supplevit C. J. A. IV 8.

[5]) Epheten u. Areopag, Sächs. Ges. d. Wissensch. 7. 1879, p. 229.

ea ita : in eadem lege teneatur is qui (non *χειρὶ* — sed) *βουλεύσας* i. e. ratione non manifesta mortis fuerit auctor; ex hac enim sola antithesi, cui omnis doli mali species adempta est, explicari poterit in eo loco verbum *βουλεύειν*. Quod quo planissime exprimatur, equidem, si cogitari possit vel unam litteram non accurate esse lectam ab U. Koehlero, commendaverim ipse, quae hanc antithesin luculenter praebeant, verba haec: *δικάζειν δὲ τοὺς βασιλέας αἰτίω(ι) φόν(ου) ἢ [χειρὶ ἀποκτείναντι ἢ βου)λεύσαντ(ι)*; haereo autem in eo, quod pro postrema littera Koehlerus edidit »*α*« non »*ι*« [1]).

Quacunque autem ratione totam restitues lacunam, semper cum Sauppio *βουλεύσαντα* scribendum erit, quod nemini fere non probatum est hominum doctorum.

Sic, modo *ἄνευ προνοίας* quis interfecerit, in Palladio reus inducendus est, etiamsi ratione »non cruenta« caedem effecerat; quodque in cruentae quidem caedis (*φόνου*) legibus imprimis atque unicum spectatum est : »consilium«, reperimus apud reliquas omnes; eae quoque e summo hoc discrimine in duo genera divisae sunt, ut aut Areopago tribuerentur aut Palladio, prout inerat malus dolus reo aut non inerat.

Tuemur autem in hac quoque re Harpocrationem; duplex enim idem testatur iudicium: *τοῦ μὲν οὖν προτέρου μάρτυς Ἰσαῖος ἐν τῷ πρὸς Εὐκλείδην ἐπὶ Παλλαδίῳ λέγων εἶναι τὰς δίκας. Δείναρχος δὲ ἐν τῷ κατὰ Πιστίου ἐν Ἀρείῳ πάγῳ· Ἀριστοτέλης δ' ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ τῷ Ἰσαίῳ συμφωνεῖ.*

Philippi vero, quem cum reliquis definitionem Harpocrationis prorsus neglexisse supra demonstravimus (p. 7), ne in hac quidem re Harpocrationem secutus omne genus *βουλεύσεως* et involuntarium et voluntarium soli tribuit Palladio [2]).

---

1) Bergkium quoque ad similem coniecturam video cogitasse (Rh. Mus. 38, 531). Non vero quae scribit mihi probantur: »*αἰτίῳ φόνου ἀκουσίου καὶ φόνον τινὶ βουλεύσαντι*«. Quid enim *φόνον βουλεύειν* per se positum significat nisi caedem moliri, conari. Conatum autem caedem efficere *τραύματος ἐκ προνοίας* in Areopago reum fieri supra vidimus p. 4 et p. 24.

2) Harpocration s. v. *ἐπὶ Παλλαδίῳ* quoque nomen illius criminis refert; quanquam inde non concludendum, soli Palladio eam convenisse; quamvis enim in Areopago non commemoretur, tamen e silentio lexicographi vix poteris aliquid efficere. Nos ipsam hanc rem alio modo iam sumus explicaturi cfr. infra. p. 41.

Contra eum duplex fuisse iudicium demonstrant oratores, quos primos semper audimus ut testes in mediis versatos ipsis rebus neque manca rerum notitia aut erroribus corruptos; contra eum testatur idem Harpocration, cuius, quamvis secundo loco positum, tamen non contemnimus testimonium.

Poenae modum e iudiciorum ordine pendere supra iam monui. Prout reus quis factus erat aut in Areopago aut in Palladio condemnari debuit aut capitis aut exilii. Si quis ratione non manifesta prudenter aliquem interemerat, ut *φονεὺς* summo supplicio dignus habebatur et re vera carnifici succubuit. Ut unum afferam exemplum: Menestratus Lys. XIII 56: *ἐπειδὴ τοῦτο τὸ ψήφισμα ἐγένετο, μηνύει ὁ Μενέστρατος καὶ προσαπογράφει ἑτέρους τῶν πολιτῶν· τοῦτον μέντοι οἱ μὲν τριάκοντα ἀφεῖσαν ὥσπερ Ἀγόρατον τουτονὶ, δόξαντα τἀληθῆ εἰσαγγεῖλαι, ὑμεῖς δὲ πολλῷ χρόνῳ ὕστερον λαβόντες ἐν δικαστηρίῳ ὡς ἀνδροφόνον ὄντα θάνατον δικαίως καταψηφισάμενοι τῷ δημίῳ παρέδοτε, καὶ ἀπετυμπανίσθη.* Menestratos *βουλεύσας* cives iniustae morti dederat eadem ratione atque Agoratus Dionysodorum Meletusque Leontem. Quibus omnibus, cum prudenter caedem commisissent, poena capitis erat statuenda. Si vero sine consilio quis casu potius alterum obruit, nimirum secundum *φόνου ἀκουσίου* leges non potuit condemnari nisi exilii. Neque maiorem videntur poenam postulasse accusatores in Ant. or. VI § 7; ipsi enim illi concesserant, quod supra vidimus, dolum malum reo crimini non esse dandum.

Ergo quod iussum est lege Andocidea, re vera accidisse omnibus ex partibus probatur gravissimis testimoniis. Quae de cruenta caede statutae erant leges, integrae valuerunt in reliquis quoque omnibus caedis generibus.

Jam vero si rem persequimur, ulterius fortasse nobis erit progrediendum; nescio enim, num sufficiat quod iudicium quidem et poenam eadem fuisse demonstravi. Namque si re vera qui *βουλεύσας* interfecerat in eodem tenetur ac si *χειρὶ* rem peregisset: nimirum *φόνου* actione reus erat — non *βουλεύσεως*; prorsus haec videtur supervacanea; iam inquirendum est in eam rem; videamus, ubi occurrat ea actio apud oratores; videamus, num sub nomine

βουλεύσεως tradantur eae orationes, quas in *βουλ.* actione habitas esse viri docti sibi persuaserunt; num fuerit omnino actio propria *βουλεύσεως*, videndum est. —

Sane, fuit actio *βουλεύσεως*; at diversa maxime ab ea quam nos quaerimus: in re foeneraria; agitur ea contra hominem qui inter aerarii publici debitores falso alterum rettulerit [Dem.] c. Aristog. (or. 25) § 71: *βουλεύσεως τὸν Ἀλωπεκῆθεν Ἀρίστωνα διώκει· ναί, φησιν, ἀδίκως γάρ μ' ἐγγέγραφεν.* Diserte eam rem exponit in priore parte famosae glossae Harpocration s. v. *βουλεύσεως, ὅταν τις ἐγγεγραμμένος, ὡς ὀφείλων τῷ δημοσίῳ, αὐτὸς δικάζηταί τινι, ὡς οὐ δικαίως αὐτὸν ἐγγεγραφότι.* Thesmothetis eam actionem convenisse Aristoteles testatur, cuius ipsa verba affert Harpocration s. v. *παράστασις* (cfr. Pollux VIII 88, VII 154). Quaero autem nunc, num per se quidem spectatum verisimile sit aut credendum omnino, nulla distinctione facta sub uno eodemque nomine comprehensa esse duo crimina quae toto ut aiunt caelo inter se distant?! Non est profecto verisimile, atque aegre mihi persuadebo tam inepte et imprudenter causis forensibus nomina imposuisse Athenienses, errores ut vitari omnino non potuerint.

Huic dubitationi addas quod re vera *βούλευσις* in causis capitis nusquam invenitur apud oratores. Nulla est ex orationibus, quae in *βουλεύσεως* actione habita esse sit tradita; neque passim hic vel illic commemoratur, ne in eo quidem Aristocrateae loco, ubi accuratissime percensentur iudicia omniaque quae eis competant crimina; de Areopago legem habes supra iam prolatam hanc: *τὴν βουλὴν δικάζειν φόνου καὶ τραύματος ἐκ πρ. καὶ πυρκαϊᾶς καὶ φαρμάκων, ἐάν τις ἀποκτείνῃ δούς.* De Palladio cum verba facit Demosthenes, nihil affert (§ 71) praeter *φόνον ἀκούσιον.* Ubi autem est tandem *βούλευσις*? Omnium excutias oratorum orationes omnes, nullum eius invenies vestigium; silentium de ea est altissimum. Inter capitis causas *βούλευσις* prorsus incognita fuit Atheniensibus atque inaudita[1]). Philippio enim cave, ne ullam habeas fidem, quod dicit (Ar. u. Eph. p. 43): »und so finden wir denn auch im *νόμος φονικός* der Inschrift (C. I. A. I 61 v. 12) die *βούλευσις* neben dem *φόνος ἀκούσιος* unter der Kompetenz des Palladion

---

[1]) Lipsius, Burs. Jahrb. XV 289 hoc iam animadvertit.

wieder«. Minime invenimus eam ibi. Erravit Philippi, — ne graviore utar verbo, — ea enim verba ipsa quae respicit coniecturae debentur, nunquam pro certo testimonio eis licuit uti; accedit quod coniectura ea U. Koehleri (cfr. p. 35 n. 3) refutata iam est atque nemini fere hodie probatur. Unico igitur *βούλευσις* firmatur fulcro hoc, quod plures exciderunt literae in lapide, quam quibus *βουλεύσεως* nomen constat. Talem autem si probaveris argumentandi rationem, nihil est quod non demonstrem tibi facili opera: sat enim magnae in lapidibus hiant lacunae.

Quanquam non contentus negando, nunc demonstrabo re vera reus factus esse non *βουλεύσεως*, sed *φόνου*, si quis *βουλεύσας* interfecerat.

Videas ad Platonem: Euthyphronis pater *βουλεύσας*, ut opinor, non *χειρί* interfecit hominem, quem in fossam abiectum fame geluque perire passus erat. Exspectaveris *βουλεύσεως* actionem institui in eum. At aliter res se habet re vera. Ipse enim Euthyphron a Socrate interrogatus *φόνου* actionem contra patrem illaturum se esse dicit verbis luculentis. Plato Euth. 4a. Socrates: *ἔστι δὲ τί τὸ ἔγκλημα καὶ τίνος ἡ δίκη;* Euthyphr. *φόνου, ὦ Σώκρατες.* — Antiph. or. VI reus rem perfecit *βουλεύσας*; vulgo putatur *βουλεύσεως* esse reus; quod ut vel semel in ea oratione occurrat nomen, tantum abest, ut disertis verbis atque expressis *φόνου* actio sola commemoretur: § 9: *φόνου διώκοντες.* § 36, 42: *φόνου δίκη.* — Si quis iniusta accusatione aliquem sustulit, quippe cum non *χειρὶ* occiderit, *βουλεύσεως* videatur reus; at diserte de *φόνου* actione loquitur Ant. V 59: *πολὺ ἂν δικαιότερον ἁλοίης τοῦ φόνου ἐμὲ ἀποκτείνας* (sc. per condemnationem iniustam) *ὑπὸ τῶν ἐμοὶ προσηκόντων ἢ ἐγὼ ὑπὸ σοῦ καὶ τῶν ἐκείνου ἀναγκαίων.* — Neque aliter res se habet in orationibus omnibus quas, si quidem fuit ea actio, sub nomine *βουλεύσεως* habitas esse necessario censuerimus. Re vera, semper in eiusmodi casibus *φόνου* actio instituta est non *βουλεύσεως*, quae inaudita prorsus est in capitis causis, quae molestissima esset atque erroribus prona propter gemellam in rebus foenerariis; supervacanea est insuper, quoniam e lege Andocidea ad *φόνου* leges reicitur quicunque *βουλεύσας* interfecit. —

Tutatus sum Harpocrationem in summa re, definitionem sceleris ab eo accepi, retinui duplex quod testatur iudicium; quod autem

dicit propriam fuisse actionem *βουλεύσεως*, hoc eidem non possum fidem habere; in hac sola re una cum oratoribus omnibus contra ipsum eum pugno atque reliquos eos, quos erroris sui socios habet. Non sunt ita pauci: Harpocration Epitoma eius anonyma Lex. rhet. Seg. V (Bekker Anecd. I) Suidas Hesychius Schol. ad Aeschin. II 87. Quanquam nominum multitudo non terret; quis enim, pro uno testimonio valere omnes ignorat, artissime qui inter se cohaerent? Apud hosce autem solos *βούλευσιν* invenies: Pollux, qui non eiusdem est familiae ab eo errore liber est.

Suspicio autem quam non possum depuguare oboritur mihi haec: non casu accidisse, quod et oratores omnes omittunt *βούλευσιν* neque lexicographi eam exhibent omnes; *βούλευσιν* in iure capitali suspicor esse Pseudo*βούλευσιν*, natam ex errore, cuius originem, nunc indagare conabimur.

Tribus omnino locis *βούλευσις* exspectanda erit in lexicis: primum quidem sub ipsa voce *βούλευσις*, quam habent Harp. Epit. Lex. rhet. Bekk. I p. 311 Suid.; verbotenus fere apud omnes redit glossa; apud Harpocrationem sic legitur: »*ἐγκλήματος ὄνομα ἐπὶ δυοῖν ταττόμενον πραγμάτων. τὸ μὲν γάρ ἐστιν ὅταν ἐξ ἐπιβουλῆς τίς τινι κατασκευάζῃ θάνατον, ἐάν τε ἀποθάνῃ ὁ ἐπιβουλευθείς, ἐάν τε μή — τὸ δ' ἕτερον ὅταν τις ἐγγεγραμμένος ὡς ὀφείλων τῷ δημοσίῳ αὐτὸς δικάζηταί τινι ὡς οὐ δικαίως αὐτὸν ἐγγεγραφότι· τοῦ μὲν οὖν προτέρου μάρτυς Ἰσαῖος ἐν τῷ πρὸς Ευκλείδην, ἐπὶ Παλλαδίῳ λέγων εἶναι τὰς δίκας, Δείναρχος δ' ἐν τῷ κατὰ Πιστίου ἐν Ἀρείῳ πάγῳ. Ἀριστοτέλης δ' ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ τῷ Ἰσαίῳ συμφωνεῖ. περὶ δὲ τοῦ ἑτέρου ἐγκλήματος Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Ἀριστογείτονος ά· Ὑπερείδης δ' ἐν τῷ κατὰ Ἀθηνογένους ά περὶ ἐνέδρας καὶ ἐπιβουλῆς τῆς εἰς χρήματα ἰδίως κέχρηται τῷ ὀνόματι.*« Hesychii brevior est glossa.

Cum vero tribuatur actio ea et Areopago et Palladio praeterea quaerendum sub hac utraque voce. Ac primum quidem sub »Areopago« perquiras omnia, — invenies nihil neque in ullo lexico neque apud alium auctorem ullum inde ab oratoribus ipsis usque ad Eustathium.

Nec multo aliter res se habet sub »Palladio«; duo tantum sunt e tanta multitudine qui sub hac glossa eam exhibent: Harpocr. *ἐπὶ Παλλ.*: *Δημοσθένης ἐν τῷ κατ' Ἀριστοκράτους ὡς καὶ Ἀριστο-*

τέλης ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ, ἐν ᾧ δικάζουσιν ἀκουσίου φόνου καὶ βουλεύσεως οἱ ἐφέται. deinde Schol. Aesch. vet. ad II § 87: *ἐπὶ Παλλ: ἐπὶ τούτῳ ἐκρίνοντο οἱ ἀκούσιοι φόνοι· οἱ δὲ ἐν τούτῳ τῷ δικαστηρίῳ δικάζοντες ἐκαλοῦντο ἐφέται, ἐδίκαζον δε ἀκουσίου φόνου καὶ βουλεύσεως καὶ οἰκέτην ἢ μέτοικον ἢ ξένον ἀποκτείναντι*[1]).

E reliquis autem quae *βούλευσιν* tuentur lexicis, quamvis sint multa, nullum sub Palladio eam exhibet; neque Pollux eam non omittit VIII 118, neque qui passim Palladium describunt velut Pausanias Periheg. I 28a. Aelianus V. h. V 15. alii.

Dubito igitur, num fortasse antiquitus ea actio omnino non sit tradita s. v. »*ἐπὶ Παλλαδίῳ*«; Pausanias atticista in lexico nihil praeter *φόνον ἀκούσιον* s. v. Pall. videtur exhibuisse (Eustath. in Od. 1419, 53: *ἐδίκαζον κατὰ Πανσανίαν ἐκεῖ ἀκουσίους φόνους οἱ ἐφέται*). Ex eo autem Harpocration vulgo putatur copiam suam duxisse. Obvertat quis, licet in fontibus Harpocrationis, licet in omnibus reliquis lexicis ea non fuerit, diligentissime Harp. versasse Aristotelis *Ἀθην. πολιτείαν*, nemo nescit; huic igitur deberi *βούλευσιν*. Sane; sed quomodo acciderit explices, quaeso, quod Epitoma etiam (et qui ex ea pendet Suidas) consentit in eo cum reliquis omnibus, quod *βούλευσιν* non habet s. v. *ἐπὶ Παλλ.*? Epitomae auctor neque hebes homo neque iners (quicunque erit) omittere quidem solet oratorum testimonia, quae vero ad rem faciunt plena reddit et integra. E mea quidem sententia, post factam demum Epitomam, insertum est Harpocrationi nomen *βουλεύσεως* in glossam *ἐπὶ Παλλ.* transductum nimirum ex altera glossa »*βουλεύσεως*«. Quod in schol. Aesch. II 87 sub Palladio inter reliqua crimina *βούλευσις* etiam commemoratur non mirabitur qui quam multa scholiastae cum Harpocratione convenerint, perspexit. K. F. Hermannus (Griech. St.-A. § 104, 10) ex ipso Harp. scholiastae verba exscripta esse censet.

Postquam vidimus apud lexicographos s. v. »*ἐπὶ Ἀρ. παγ.*« nunquam *βούλευσιν* esse commemoratam, postquam non sine magna verisimilitudinis specie s. v. »*ἐπὶ Παλλ.*« antiquitus eam exstitisse negavimus, ad unam restringimur glossam »*βουλεύσεως*«.

Haud parvi autem hoc momenti duxerim, nullo enim loco facilius error potuit oriri quam in ipsa illa glossa. Quid enim, modo aut lexicographus aliquis aut grammaticus in commentario

---

[1]) *-κτεῖναι* cod. — *κτείναντι* Sauppius.

putaret, id quod nostrates fecerunt omnes, *βουλεύσεως* actionem esse institutam, si quis *βουλεύσας* interfecerit, nonne ita res confecta erat? Verbum quidem saepissime invenerunt in orationibus capitalibus, quibus de caede ageretur, verbum in cotidiano etiam sermone usitatissimum mansit imprimis de insidiis vitae structis per totam antiquitatem usque ad Byzantinos. Contra genuina illa *βούλευσις* quae est in rebus foenerariis convenit iudiciariae dictioni; delituit cum ipsa Atheniensium civitate. Nonne facile potuit fieri ut permiscerent res lexicographi cum immerito verbum coniungerent cum nomine actionis? et declinabant ad facillimum hunc errorem; quam proni ad eum fuerint videas ipse: Pollux VIII 43: *ψευδεγγραφῆς δ' ἦν δίκη κατὰ τῶν ὡς ὀφείλοντάς τινας ἐνδειξαμένων, εἰ ψευδῶς σεσυκοφαντηκότες ἁλῷεν. κατὰ δὲ τούτου ἦν καὶ ἐπιβουλεύσεως γραφή.* Actio *βουλεύσεως* videlicet intellegenda; error inde factus est, quod cogitavit ille ad verbum *βουλεύειν, ἐπιβουλεύειν* (insidiari). Alterum est apud Suid.: *ἡγεμονία δικαστηρίων* II; refert ille delicta quae conveniant Thesmothetis atque dicturus quidem de genuina actione (foeneraria) tamen ad verbum quod insidiis magis atque caedibus convenit delapsus esse convincitur: *πρὸς δὲ τοὺς θεσμοθέτας αἱ τῆς ξενίας* (actiones) *καὶ δωροξενίας κ. συκοφαντίας κ. ψευδεγγραφῆς κ. ὕβρεως κ. μοιχείας κ. ἐπιβουλεύσεως*! Ita verbum *βουλεύειν*, cuius frequentissimus est usus in orationibus capitis, translatum mihi videtur esse per facilem — mehercle — errorem ad *ἔγκλημα βουλεύσεως*, itaque crimina capitis nova locupletata sunt actione quae nunquam fuit aut potuit esse.

Si usum tenes lexicorum, quo ipsam formam sicut in verborum ordine posita est ex orationibus immutatam recipiunt, facilior etiam erroris via videbitur tibi haec. Erat in fronte glossae, qua *βουλεύειν* verbum illustrabatur, praeposita ea quae longe saepissime in orationibus redit forma participii *βουλεύσας*. Ita in lexico ex elementorum ordine composito statim post glossam *βουλεύσας* sequi debuit gl. *βουλεύσεως*. Quam proximam affinitatem provehere errorem potius debere quam impedire nemo negabit. Quae igitur nunc quidem *βούλευσιν* tueri videntur gravissima testimonia Isaei Dinarchi Aristotelis ad *βουλεύειν* verbi notionem explicandam referantur.

Postremum pro *βουλεύσεως* nomine in proelium poteris educere Libanium rhetorem, si quidem fides habenda tali socio. Illius enim est oratio cui inscribitur »*παῖς βουλεύσεως γραφθεὶς ἀποθανεῖν*

ἀξιοῖ. Lib. ed. Reiske t. IV 841: Duobus in ea oratione locis commemoratur eadem p. 844 v. 4 et v. 8. Quale fuerit crimen filii accuratius non exponitur, neque quae insidiae structae sibi sint pater exposuit. Videtur de conatu agi cfr. p. 845 v. 18: *οἴει τὸ μῖσος εἰς βουλὴν φόνου προβεβηκέναι* (cod. *προβεβληκέναι*). E mea sententia non *βουλεύσεως* actionis sed vulgati erroris hic etiam testis est habendus quippe cum e verbo finxisse sibi videatur actionis nomen *βούλευσιν*.

Quanquam non praetervideo, vix ad liquidum hanc quidem posse rem perduci; destituti enim sumus gravioribus et quae vincant prorsus argumentis; ergo in suspenso relinquimus actionis nomen. Si cui placeat, retineat illud, retineat sibi; relinquuntur autem ei haud parvae quas exposui difficultates: habebit enim duplicem *βουλεύσεως* actionem in diversis quam maxime delictis instituendam; explicandum ei erit oratorum silentium altissimum, quod mihi quidem non levem movit suspicionem; videndum ei erit, cur *βουλεύσας* e lege Andocidea »*φόνου*« iubeatur reus haberi, cur Euthyphronis pater, cur Antiph. orationis VI actor *φόνου* sint accusati, si *βουλεύσεως* actioni re vera fuit locus. Has omnes si quis mihi prostraverit dubitationes, ipse recipiam duplicem *βούλευσιν*, — quamvis invitus quidem; neque enim libenter decedam a sententia, quam semper tutatus sum: non imprudenter rem iudiciariam suam instituisse Athenienses.

Cedam, dico; neque enim nomen actionis sive *βούλευσις* fuit sive non fuit, primum quaestionis meae obtinet locum. Summa res haec est: Antithesis *χειρὶ ἐργαζόμενος ἀποκτείνω* — *βουλεύσας ἀποκτ.*: cruentam caedem, aperta vi effectam — opponit non cruentae, consilio magis commissae et clandestina aliqua machinatione; falsum est quod vulgo putantur duo sibi opponi homines, quorum alter suppeditavit consilium — alter, incitatus, rem perfecit ipse: par illud nobile fratrum (intellectualis auctor atque physicus) remissum est ad eburneam somniorum portam, unde terreant eos a quibus creduntur! —

Debemus autem hos fructus sermonis Graeci genio, qui fideli et tenaci memoria genuinam servavit vim verborum etiam in dictione iudiciaria, ubi imprimis ad aliena solent deflecti neglecta notione innata. — — —

Vita auctoris.

Natus sum Wolfgangus Passow Marchicus Alt-Reetzii a. 1863 sexto die Mai m. patre Mauritio medico a sanitatis consiliis, quem ante hos decem annos subita morte abreptum lugeo; matre Luisa e gente Froelich superstite laetor. Fidei sum addictus evangelicae.

Rudimentis literarum patrio in vico imbutus novem annos agens Berolini adii Gymnasium Regium Joachimicum, in cuius alumnatum a. 1876 receptus sum. Auct. 1881 maturitatis testimonio accepto, ut philologicis studiis operam darem universitatis literariae Berolinensis civis factus sum; proximo anno 1882 Apr. — 1883 stipendia Berolini feci; per aestatem a. 1883 Bonnae fui, unde Berolinum reversus continuavi studia, donec auct. 1884 Gottingam deductus sum aequa Minerva; hic et proseminarii et seminarii philologici sodalis fui ordinarius.

Per decies sex menses audivi viros illustrissimos hos: Curtius, H. Droysen, Furtwängler, A. Kirchhoff, Robert, Scherer, Vahlen, Zeller, Berolinenses; — Buecheler, Kekulé, Klein, Usener, Bonnenses; — Baumann, Peipers, Sauppe, Volquardsen, de Wilamowitz-Moellendorff, Gottingenses. — Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias refero iustas ac debitas imprimis autem eis doctissimis duobus viris et humanissimis, qui benigne opusculum meum non contempserunt, monumentum quod esset animi mei in eos gratissimi.

Altenburgi
Typis officinae aulicae Piererianae
(St. Geibel et Soc.).

Umschlag-Druck von Hesse & Becker in Leipzig